



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dissertatio Paraeneticæ Apologetica In Vitam Mirabilem,
& Cœlestes Revelationes Venerabilis Virginis Marinæ De
Escobar Vallisoletanae, Ordinis Sanctimonialium S.
Brigittæ in Hispania Fundatricis**

Tanner, Jan

Neap., 1690


urn:nbn:de:hbz:466:1-41415

Th
2313

RIV

8

M. 2313.



DISSERTATIO PARAENETICO
A P O L O G E T I C A

In Vitam Mirabilem, & Coelestes Revelationes

VENERABILIS VIRGINIS

M A R I N Æ

DE ESCOBAR

VALLISOLETANÆ,

Ordinis Sanctimonialium S. Brigittæ in
Hispania Fundatricis

A REV. P. JOANNE TANNER
Soc. Iesu Theologo Scripta,

Et ab eodem

AD REV. P. MELCHIOREM HANEL
Ejusdem Societatis, & ipsiusmet Vitæ ex
Hispano idiomate in latinum, In-
terpretem, Directa

EDITIO SECUNDA

Brevi Vitæ Venerabilis P. Ludovici à Ponte
Notitia, & aliis aucta.

R. IV. 166



Neap. Typis Dom. Ant. Parrini, & Michaelis Aloysij Mutii. 1690.

Superiorum Permissu.

Collegii S. Petri Paderbornensis 1699

INSTITUTIONES
ARITHMETICAE
IN VIAM MICHILIAM & COELESSES REVELATIONES
VENETIIS VIRGINIS
MARRINE
DE ESCOBAR
VALLISOTTANA

AD REV. P. MELCHIOREM HANEL
Societatis, & ipsius in
Hispano idioma in latinum
scriptum fuit

AD REV. P. JOANNEM TANNER
Societatis, & ipsius in
Scripserunt

K. 17. 164

AD REV. P. MICHAELIS APOSTOLICIS
Societatis, & ipsius in
Scripserunt

AD REV. P. JOANNEM TANNER
Societatis, & ipsius in
Scripserunt

ILLUSTRISS. E REVERENDISS. SIG.

DOm. Ant. Parrino, e Michele Luigi Mutii, supplicando espongono à V.S. Illustrissima, come desiderano stampare un libro intitolato, *Dissertatio Parænetico Apologetica in Vitam mirabilem Virginis D. Marinae de Escobar Vallisoletanae*, Authore R.P. Ioanne Tanner Soc. Iesu Theologo, supplicano per tanto V. S. Ill. restar servita commetterlo alla solita revisione, che l'haveranno à gratia, ut Deus.

Neapoli die 8. Iulii 1690. Fuit provisum coram Eminentissimo Domino Cardinali Pignatello Archiepiscopo Neapolitano, quod Rev. Canonicus D. Petrus de Felice Penitentiarius Major Ecclesiae Cathedralis videat, & in scriptis referat eidem Eminentiss. Domino.

Sebastianus Perissius Vic. Gen.
D. Eligius Caracciolus C. R.

C E N S U R A

Reverendissimi Domini Doctoris D. Petri de Felice
Ecclesiae Cathedralis Neapolitanae Canonici, &
in eadem Penitentiarii Majoris.

EMINENTISSIME DOMINE.

Lustravi attentè, quemadmodum iussisti, *Dissertationem hanc Parænetico Apologeticam, quam in Venerabilis Virginis Marinae de Escobar mirabilem Vitam à P. Ludovico de Ponte Societatis Iesu editam, scripsit admodum R. P. Ioannes Tanner ejusdem Societatis Theologus, de eaque sic Censeo.* Cùm res ista, in qua de Divinis revelationibus agitur privatae cuipiam personae factis gravissima sit, multisque obnoxia Satanæ illusione in Angelum lucis se se identidem transfigurantis,

ut

ut non pauca docent exempla à Theophylo Raynaudo
lib. de Heteroclit. Spiritualibus Sect. 2. puncto 5. annot.
35. congeſta, proviſum à Deo eſt pluribus ad eas di-
ſcernendas indiis, quæ Sancti Viri, divinaque Sapien-
tia Spirituum diſcretionem muniti, latè tradiderunt, quæ-
que omnia ſatis eruditè affert hujus operis Author; ut
inde conficiat, quæ à Deo piæ illi ſæminæ dicuntur re-
velata, diabolicis deceptionibus non patere. Præſens
itaque opus principio e quidem neceſſarium non judi-
co; Cùm ſatis mihi eſſet ad ejus propoſitum demon-
ſtrandum ſola Ludovici de Ponte authoritas, & testi-
monium initio prefixum, Viri ſcilicet apud Hiſpanos,
imo, & univerſum Chriſtianum Orbem notiſſimæ San-
ctitatis, ac ſpeciali, uberrimaque Dei luce perfuſi, quan-
tum nunquam ſatis laudata ejus volumina declarant.
Cenſeo deinde, opus hoc eſſe valde utile, ut potè quod
doctrinam continet omnino ſolidam, ac præclarâ, quæ
poſt in ejuſmodi eventibus non parum animarum
Rectores juvare, eamque validiſſimè aptam ad Conci-
liandam Marinæ Revelationibus omnem eã fidem, quæ
haberi poſt Citra Suffragiũ Romanæ Eccleſiæ: quod
quidem cùm nondum habeant, mereri certè videntur
digniſſimâ. Proinde mea ſententia eſt; quod, Eminentia
Vestra probante, Typis mandetur. Die 1. Auguſti 1690.
Eminentia Vestræ.

Addiſſimus Servus.

Can. Petrus de Felice Pænitentiaris Major.

Neapoli Die 23. Auguſti 1690.

*Fuit proviſum coram Eminentifs. Domino Card. Pigna-
tello Arch. Neap. quod ſtante ſupradicta relatione Do-
mini Reviſoris imprimatur. Imprimatur.*

Sebastianus Periffius Vic. Gen.

D. Eligius Caracciolus C.R.

EC-

ECCELLENTISS. SIG.

DOm. Ant. Parrino , e Michele Luigi Mutii Socii Stampatori in questa Fedelissima Città, supplicando espongono à V.E. come desiderano reimprimere nella loro nuova Stamparia un'Operetta impressa l'anno 1672. in Praga intitolata *Dissertatio Parænetico Apologetica in Vitam mirabilem Venerabilis Virginis Marine de Escobar, Vallisoletanae Authore R.P. Ioanne Tanner Soc. Iesu. Theol.* supplicano per tanto V.E. restar servita ordinare la commissione di detto Libro alla revisione , che l'haveranno à gratia ut Deus, &c.

Illustriss. D. Ioannes Bonilla Episcopus Auriani videat , & in scriptis referat .

Carrillo Reg. Soria Reg. Gaeta Reg. Moles Reg.
Miroballus Reg. Iacca Reg.

C E N S U R A

Illustrissimi , ac Reverendissimi Domini D. F. Ioannis Bonilla Soria Carmelitani de Observantia ; olim in Provincia sui Ordinis Castellana semel , & iterum Provincialis , & Regis Catholici Caroli Secundi Concionatoris ; Nunc Arianensis Ecclesiæ in Regno Neapolitano Præsulis , & ipse Regis Catholici à Consiliis &c.

EXCELLENTISSIME DOMINE

HANC Parænetico apologeticâ Dissertationem , quam jussu Excellentiaæ Tuæ avidè perlegi , adeo Sacræ Scripturæ Sanctorum Patrum Doctrinis , & Theologiaæ mysticæ principiis conformem reperi ; ut
nec

nec in minimo apice ab ipsis discrepare scrupulosus quis (me teste) possit garrere . Si enim (ut docet Cardinalis Turrecremata in prologo revelationum Sanctæ Brigittæ) ad discernendas veras revelationes à falsis , a probatio earundem à gravibus , expertis , Sapientibus, ac Spiritualibus viris debet fieri : quænam (quæso) sunt in Ecclesia in hoc genere revelationum, quæ majori , digniori que approbatione præfulgeant? Sufficiat unus pro mille , Venerabilis, non solum mihi : non solum toti Hispaniæ, verum etiam toti terrarum Orbi , Pater Ludovicus à Ponte Societatis Jesu, cujus beatificationem , jam (Sacra Sæde ordinante) in dies incre libili anxietate ultimæ attenduntur dispositiones . ~~His~~ namque tantus Magister , qui non solum regulis mysticæ Theologiæ instructus , sed absque dubio superno etiam lumine illustratus, Venerabilis Virginis Marinæ de Escobar per triginta , & amplius annos , confessiones , revelationes , extases , & raptus matura consideratione, attentaque inspectione direxit , quantum prædictæ Virginis vitam , & revelationes extulerit , nullus , qui primam partem mirabilis illius vitæ lustraverit , ignorare poterit: Et certe, si hujus dignissimam occupationem attendamus , & si non æquali ; armoniosa tamen acclamatione usurpare possemus illud Divi Thomæ circa S. Bonaventuram , vitam Seraphici Francisci scribentem , mirabile proculdubio dictum : *Sinamus Sanctum pro Sancto laborare* : Dum ergo approbationem Sapientum, Spiritualiumque Virorum , tamquam indispensabilem conditionem ad discernendas veras revelationes a falsis requirimus . Quis (Omissò doctissimo Societatis Cætu , qui uno ore fat a probavere revelationes) Ludovicum vitam Marinæ scribentem inspexerit , aliam requireret approbationem ? quasi non sufficeret unum Ludovicum vitæ excel-

excelentia, & magisterii spiritualis gloria præfulgidum, pro tam singulari Dei Ancilla laborasse.

Nec carent hujusmodi revelationes felici signo ab Albergino in suo Manuali Qualificatorum, Cap. 45. num. 9. pro discernendis veris à falsis revelationibus, requisito: quod signum ex parte effectus, quem revelatio in animo, cui fit, efficit, & operatur, debet attendi: Si enim revelatio hominem humilem, flexibilem, & disciplinatum relinquit; proculdubio vera est, ait Alberginus.

Quisqui vitam hujus Venerabilis Servæ Dei, vel e limine salutaverit, non illius humilitatem, & animi docilitatem est admiratus? indignam se semper harum coelestium revelationum profitebatur. Ad easdem scribendas non nisi Confessorum, iteritatis præceptis, se accingebat: Quinimò Divino sæpe præcipiente Numine humili efficacia renuebat, Celestem adverteret controversiam inter Deum, & Marinam, qui ejus vitam, & revelationes perlegerit. Divinum adest præceptum, ut scriptis mandet, quod illi datur intelligi. *Scribe, quod tecum ago*; Humilis ex parte Marinæ correspondet supplicatio, se indignam, & inhabilem ad hujusmodi onus. Instat Divina jussis, sed adhuc timet, adhuc in oratione pro excusatione perseverat; sed tamen vincitur. Cum namque ejus humilitas, cum conformitate Divinæ voluntatis esset conjuncta, quod humilitate renuebat, conformitate tandem exequitur. Non ignorabat aiebat S. Maximus, Humilia 8. de Epiphania loquens de Præcurfore; *Prophetarum ille præcipuus, Divinis præceptis obediendum, sed ministerium sibi à Domino impositum noluit sine sua humilitatis confessione complere, itaque, & fidelis humilitas præcata est Dominum, & obedientia implevit obsequium.*

Hoc Maximus de Præcurfore. Hoc ego de Vene-

b

rabi-

rabili hac Virgine . Non ignorabat illa Divinis præceptis obediendum , sed tamen fidelis humilitas præcata est Dominum, & obedientia implevit obsequium. Si ergo pro declaranda vera revelatione humilitas, ut effectus requiritur: Vix in Ecclesia invenietur, qui post revelationes sic humiliata permanferit . Humilitatem (ait Alberginus) sequi debet ut Comes individuus flexibilitas voluntatis ad directionem Confessoris. Aufcultemus Marinam cum Deo aliquando colloquentem . *Si tu velles , ajebat , libenter dicerem meo Patri spirituali, cui committis mea scripta, ut omnia, quæ in ipsis reperiuntur , & quæ ipsi non integerrimè satisfaciunt, deleat, laceret, & destruat.* Non ne quæso Marina Divinum accepit Oraculum, *facit ad meam gloriam, ut hoc scribas.* Cur ergo tam subiecta placito Confessoris? Cur ad nutum dirigentis laceret, quod Deo approbante scribit? Erat tam docilis, tam flexibilis animo, ut licet in his , quæ scribebat nihil absurdi inveniri certo certins sciret: semper tamen pendebat ab ore Confessoris; Aliam inspexerit Teresiam , qui in flexibilitate, & docilitate animi attenderet Marinam . Si enim Teresia dum Divina fueretur familiaritate cum Christo se à deliciis hujusmodi retrahebat; ob præceptū Patris spiritualis, ne deluderetur, timentis: Christo obiiciens, ut se ab ejus familiari cōmercio subtraheret: Quid aliud faciebat Venerabilis hæc Virgo, dum quod certo certius in sua privata revelatione cognoscebat absque ulla pertinacia : immo maxima sui resignatione, voluntati Confessoris submittere, non solum non renuebat, immo absque tali submissione minus securum judicabat . En ejus humilitatem post revelationes . En sine comparatione mansuetissimam animi flexibilitatem. Si ergo humilitas cum flexibilitate evidēs est signum veritatis revelationum juxta Alberginum ex
sen-

sententia Sanctorum Patrum : Hujus Venerabilis Virginis revelationes in offenso pede, debent currere .

Cancelarius Parissiensis aliud ponit signum pro evidenti discretionem veræ revelationis à falsa . En illud: puritas , & integritas veritatis eorum , quæ revelantur . De puritate quisqui vitam Marinæ, vel cæcutienti oculo lustraverit, revelationum ejus puritatem , non solum non videat , verum & admiretur ? Odorant omnia sua scripta (nescio) quid Divinum, ut omnes trahant in odorem unguentorum suorum . Quæ ad eruditionem spiritualium ex illius calamo Divina revelatione emanarunt : Multo prestantius , quam aurea illa Herculeæ cathenâ , ex ejus ore procedens omnes non solum dictis ejus acquiescere facit ; immò imperiosa jucunditate compellit . Labia ejus distillantia myrram primam (ajebat Salomon) de verbis Sunamitidis . Labia hujus dilectæ Sponsæ Christi , vero verius myrram primam distillantia . Si enim juxta Naturales in hoc distinguitur myrra prima a secunda; quod prima liquor est ex corde ardoris solis radio percussus , ea quæ ex ore Marinæ ut scripto mandarentur , processerunt : abundantia quædam fuit ex ejus corde, non tam percusso , quam illuminato , radiis veri Solis justitiæ . Quot revelationes protulit: tot lilia puritatis Ecclesiæ produxit . Quis scripta hujus Venerabilis Virginis legit, qui non purior evasserit ? loquatur Hispania . Testimonium ferat Germania . Felix illius patria Pincia exaudiatur : Et si parva sunt ista, unum pro mille ; ejus sincero animo legat , qui dubitaverit, revelationes . De integritate eorum , quæ ipsi sunt revelata nil dicere convenit . Clamant namque informationes pro ejusdem beatificatione ex dispositione Apostolica factæ : Nil ipsi revelatum quod magna ex parte non fuerit adimpletum : & si aliqua desunt , sciat

Scrupulosus, quod Divinis revelationibus determinatum tempus non est constitutum. Ricardus à S. Laurentio aliud irrefragabile requirit signum pro vera revelatione dignoscenda. Conformitatem scilicet revelationum ad Sacram Scripturam, & Sanctorum Patrum Doctrinam. Atentè legantur revelationes hujus Venerabilis Virginis: Nihil Sacrae Scripturae, Sanctorumque Patrum Doctrinis dissonum, sed omnia ejus scripta sic conformia invenientur, ut nullum sit verbum, quod veritates Sacrae Scripturae non eructet, Sanctorumque Patrum Doctrinam non redoleat. Si enim juxta Divum Augustinum in Psalmo 90. Concione 1. Divinae Scripturae literae vocantur delatae de Caelo. Ipsam auscultate. *De illa Civitate unde peregrinamur litterae nobis venerunt, ipsae sunt scripturae, quae nos hortantur, ut bene vivamus.* Si ergo litterae quae mediante revelatione de Caelo veniunt, non solum conformes Sacrae Scripturae, immo verius Sacra Scriptura vocari debent; ea, quae Venerabilis Marina in suis revelationibus scripsit, proculdubio Sacrae Scripturae, & à fortiori doctrinae Sanctorum Patrum conformia esse nullus non videt. Continua Sanctorum Angelorum Dignatione fruebatur: Hi sunt nuntii, quibus litterae nobis innotescunt. Nec Maledicus quisquam contradicet, dum dicere potest, de hoc nobis dubium. An spiritus, qui Marinae assistebant boni Angeli essent, an mali: Cum enim ex reliquis signis à nobis jam recensitis constet huiusmodi Marinae revelationes maximam in ipsa semper humilitatem, excitasse, quam quidem Maligni Spiritus (nullo Sanctorum Patrum non annuente) excitare non possunt: Manifestum relinquitur Spiritus Marinae in majori vitae suae spatio assistentes de genere bonorum esse: Nemo namque dubitare potest humilitatem, patientiam, despectum sui: incredibilem dolorum tolerantiam, & alia

alia hujus modi à spiritu bono, & in spiritu Santo fundato procedere debere: quod evidentius fiet si atente inspiciantur ejus scripta: puritatem namque redolent: gravitatem verborum, & quidem non ordinariam habent: Edificationem legenti afferunt; profectum spirituales augefcunt: Divinum cultum loquaci silentio persuadent, ita ut de illis vero verius, quàm celebris ille Lusitanus in laudē cujusdam Spiritualis Rescripti dicere possimus.

*Non hic invenies mendacii condita luffu
Ulla: nec impuros: Lector Amice: Sales
Quin resoluta feras non fuco jura superni
Fulta: sed eximia religione Dei.*

Revelationes ergo hujus Venerabilis Virginis, quæ ratione nunc immediate dictorum Divinum quid redolent: à conformitate cum Sacra Scriptura, & cum Doctrina Sanctorum Patrum non deficere: firmo judicio asseverare non solum possumus, immo debemus; ne à regulis omnium Spritualium tamquam ignorantes exclusi nigro lapide notemur.

Ultimum jam signum accedat pro terminando iudicio circa Venerabilis Marinæ revelationes hoc est insententia omnium spiritualium conditio personæ: pro quo signo loquatur (ut jam dixi) Pincia tota ejus felix Patria, quæ ita ipsam venerabili Amore ob ejus heroycas Virtutes prosequitur, ut de ejus laudibus, post tot temporum curricula loqui non desistat. Iudicium ferat Sacra Societatis Religio, quæ ipsam velut pia mater semper in sinu fovit, & ad ubera lactavit: cujus testimonium ita mihi pro veritate harum revelationum firmum est, ut dicere auderem, nullatenus à veritate in spiritualibus deviasse illum, quem Sacra Societatis Veneranda Religio sua approbatione confirmat. Loquantur heroycæ ipsius Marinæ virtutes, ejus in omnibus,
vita

vita exemplaris, ita eximia, ut intot anhorum curriculis nullus extiterit, qui de hujus Venerabilis Virginis, & sancta ejus inter mundi pericula conversatione, vel dubiosum verbum protulerit. Loquantur denique pro conditione personæ ejus admirandæ revelationes: & pro securissima revelationum harû approbatione, loquatur ejus purissima vita: fecit enim omnia, quæ scripsit, & rectè scripsit, ut sanctè viveret: ita ut potiori jure de Nostra Virgine possit decantari, illud Ioannis Ouyeni, libro 2. & Epigrammate 25.

Qui scribenda facit: scribitve legenda, Beatus

Ille: Beatior es tu, quod utrumque facis

Digna legi scribis: facis & dignissima scribi.

Scripta probant doctum te, tua facta probum.

Hoc meum iudicium pro revelationibus, & pro Venerabili Marina hoc meum suffragium: pro Apologia, & Autore, cujus encomia celebrare, ommito, & quia notissima mundo, & quia quæ non possunt dignè explicari calamo, melius extolluntur silentio. Quo verò attinet ad regiam jurisdictionem, hujus que Regni pragmaticas, sanctiones, in nullo nec negiæ jurisdictioni obest; nec juribus Regni contrariatur. Sic sentio saluo &c. Ariani 30. Junii anno 1690.

Frater Ioannes Episcopus Arianensis.

Visa supradiçta relatione imprimatur, & in publicatione servetur regia Pragmatica.

Car rillo Reg. Soria Reg. Gaeta Reg. Moles Reg.
Miroballus Reg. Iacca Reg.

FA

FACULTAS P. PROVINCIALIS.

Octavius Caracciolus Præpositus Provincia-
lis Soc. Jesu in Prov. Neap. potestate ad id
mihi facta à R. Adm. P. N. Tyrso Gonzalez ejusdē
Soc. Præp. Generali. Facultatem Concedo, ut liber
inscriptus *Dissertatio Parænetico Apologetica in
vitam mirabilem, & Cœlestes Revelationes Ve-
nerabilis Virginis Marinæ de Escobar Vallisole-
tanæ à P. Joanne Tanner Nostræ Soc. Theologo
Compositus*, ejusdemque Soc. gravium, Doctorum-
que Virorum examinatus, & approbatus Typis
mandetur, si iis, ad quos editio librorum spectat,
ita videbitur. In quorum fidem has litteras manu
nostra subscriptas, & Sigillo nostro munitas dedi-
mus: Neap. 24. Augusti 1690.

Octavius Caracciolus.

PRO

PROTESTATIO AVTHORIS .

Protestor me in hac Apologia verba *Sanctitatis, mirabilis vitæ, & Cælestium revelationum* non alio sensu accipi velle, quàm vulgari; nec aliam fidem arrogare iis, quæ narro circa revelationes Ven. Marinæ de Escobar, & virtutes atque miracula Ven. Patris Ludovici à Pöte, quàm humanam, qualem meretur authoritas ejusdem Patris Ludovici, qui eas revelationes scripsit; & authoritas Historicorum, qui vitam ejusdem Patris litteris diligentè consignarunt: multo minus, quod stultissimum esset, præjudicium facere Sanctæ Sedi Apostolicæ, cujus est pronunciare de vera Servorum Dei Sanctitate, & miraculis, & de revelationibus eorum judicium ferre.



DISSERTATIO PARAENETICO APOLOGETICA

In Vitam Mirabilem, & Cęlestes Revelationes

VENERABILIS VIRGINIS

MARINÆ DE ESCOBAR

Ad Reverendum Patrem

MELCHIOREM HANEL

SOCIETATIS JESU.

Reverende in Christo Pater :



Uemadmodum liquidissimo perfusus sum gaudio quamprimum à tot jam annis expectatam, non minus à Sanctissimarum virtutum exemplis, quàm Cęlestium revelationum luce verè mirabilem Ven. Marinæ de Escobar Vallisoletanæ Virginis Sanctimonialium Ordinis Sanctæ Brigittæ in Hispania

A

nia

nia fundatricis , vitam latinè jam conscriptam, & Typis destinatam vidi , totamque accuratissimè iterum , iterumque perlegi : ità profectò posteaquam Reverentiam vestram (cujus diligenti ac pio studio Opus hoc Romanâ donatum Civitate habemus) intellexi nonnullorum obloquiis , quin , & irrisionibus adeò commotam , ut laboris propè pœniteret , ac de ejus porrò ad plenam usque lucem promovendi cura abiicienda deliberaret , graviterque sanè indolui , & mox de Reverentia vestra in tam Sancto Opere confirmanda cœpi cogitare, ne thesaurus iste planè incomparabilis, publico bono subtraheretur . Et hoc quidem non putavi me facturum aptius, quam si brevitate quantâ per materiæ amplitudinem fieri posset maximâ , discursum quempiam Theologico Asceticum conscriberem , in quo non solum solatium Reverentia vestra inveniret , verùm, & in promptu haberet, quæ adversus ejusmodi cavillos opponere , & quibus ea , quæ obiiciuntur retundere valeret: cum nimis clarum sit non paucis Catholicis etiam doctis , ac Religiosis viris multa circa revelationes in novo testamento à DEO variis hominibus , præsertim mulieribus concessas , nec libris Sacræ Scripturæ insertas, difficilia videri; adeò ut nec desint, qui eo usq; eas vilipendant, ut nec legere ipsi velint, nec ab aliis audire sustineant . Hoc autem non potest fieri sine detrimento animarum , & gloriæ DEI manifesto : dum enim animæ devotæ, & ad viam Spiritus unitivam utcumque dispositæ , vident quempiam ejusmodi gravè virum, ad omnia quæ in talibus revelationibus proponuntur stupentem , & quasi nihil horum sibi persuadeat, attonitum quin, & modestâ quadâm subsanatione, tanquam ridicula explodentem; fieri vix potest quin, & ipsæ ab his avertantur : Cùm autem mirabilis Vita Venerabilis Virginis Marinæ de Escobar , sit præ aliis

ob-

obnoxia ejusmodi difficultatibus, ut quæ plenissima est talibus, hominibus illis maximè displicent; quid mirum est, si apud aliquos vilipendatur? Neque dubito, me Divinæ Majestati in hoc aliquod facturū obsequium, cum iste sit etiam scopus studii Theologici; ut ea, quæ ad Sanctitatem Christiani populi conducunt, declaret, protegat, confirmet. Quâ ipsa de re memorabile est illud, quod ipsius hujus vitæ *lib. 2. cap. 12. S. i.* habetur, quomodo videlicet Christus Dominus postquam Ven: Virginis Marinæ in specie pueri duodennis apparuisset, eique narrasset quomodò in ea ætate cœperit, coram Scribis, & legis peritis Sapienciam suam in templo manifestare, & Messie adventum annunciarẽ, subjecerit verba sequentia: *Et ecce quàm parùm id ipsis profuit! Vellem non ità etiamnum contingeret, sed ut veritates, & mysteria, quæ ego manifesto, ac declaro, Patribus Spiritualibus, & Ministris quorum officium est illa explicare, iidem stabilirent, & credibilia redderent quantum possunt, prò mea gloria, & honore, ac bono animarum, neque ea occultarent, & silendo infirmarent.* Sufficerẽ equidem potuisset, & debuisset omnibus hanc vitam, lecturis sola auctoritas Ven. P. Ludovici de Ponte, tantæ Sanctitatis, tantæ doctrinæ, tantæque prudentiæ viri, à quo hæc, quæ sex prioribus libris continentur, sunt conscripta, præsertim cum præfixâ introductione fundamenta certitudinis horum explicaverit; sed volunt aliqui dubitationibus suis pressò pede responderi: id quod quidem aggrediar, non tamen eâ spe, ut neminẽ amplius, vel protervum superfuturũ arbitrer, qui adhuc Cœlestes has revelationes insectetur, cum sciam veritatem non esse tanti roboris, ut omnibus etiam sine ulla ratione proclamare volentibus, os occludere, aut eos ad confessionem convictæ suæ falsitatis, & proterviæ, invitos, cogere possit; nam, & in hoc ipso

4
aliqui suam laudem reponunt.
Verum dissertationi huic, quam in lucem publicam edere, & Typis mandare sum coactus, duo adiungere opere pretium duxi, quæ credibilitatis ipsarum revelationum argumenta, non incongruè appellari possunt: Notitiam scilicet miræ Sanctitatis, & Sapientiæ Venerabilis Patris Ludovici de Ponte ejusdem Virginis Marinæ Directoris, & ipsius vitæ, & revelationum Authoris Præcipui: & introductionem, quam ipsemet Venerabilis Pater, primæ parti vitæ Venerabilis Virginis à se conscriptæ, præmissit; quam introductionem non semel, pro mea confirmanda sententia in testimonium adduco. Ut ex utroque opusculum hoc, & efficacius, ut spero, & gratius lectoribus evadat.

§ I.

Qui Authores historiam Vitæ hujus Venerabilis Virginis scripserint.

CUM inter argumenta suadentia veritatem historiæ cujuslibet præcipuum apud omnes censeatur, Authoritas illius qui historiam scripsit, abs re non est, ad suadendum lectoribus veras, & ab Spiritu Dei profectas esse visiones, & revelationes, quas Venerabilis Virgo Marina de Escobar Fundatrix Reformati Ordinis S. Brigittæ jussu Patrum suorum spiritualium scripsit, & habentur in duabus partibus mirabilis vitæ ipsius, dicere, qui, & quantæ authoritatis, & sapientiæ fuerint, Authores, qui eas scripserunt, cum utraque pars, non ab eodem uno, sed à duobus, reperiatur, disposita, & sub duplicis Authoris nomine vulgata.

Pri-

5
Primam partem mirabilis vitæ hujus V. Virginis ,
adhuc viventis, desumptam ex iis, quæ ipsa jussu suorum
Patrum Spiritualium conscripsit, contexuit Venerabilis
P. Ludovicus à Ponte è Societate Jesu, qui per triginta
continuos annos ejus confessor , & director fuit ; & in
hoc opere componendo laboravit ultimis Vitæ suæ an-
nis ; tanta cum æstimatione hujus Servæ Dei ; ut ipsa
die, qua obiit, præsciens, illam fore ultimam suæ vitæ,
ultimam manum huic operi impoluerit , per aliquot
horas ; uti narrat R. P. Franciscus Cachupin olym in
Provincia Castellæ Provincialis, & in Bætica Visitator,
Inquisitionis Hispanicæ Consultor, & Qualificator, fi-
delis historicus vitæ ipsius, *lib. 1. cap. 14. num. 17.* & po-
stea *lib. 4. cap. 1. & 2.* comprobatur depositione jurata te-
stium fide dignorum, qui præsentibus adfuerunt, & in in-
formationibus factis an. 1629. Vallisoleti, Salmanticæ,
Matriti, & alibi ad Beatificationem hujus V. Viri, juri-
dicè examinati sunt.

Hæc pars Typis mandata est Matriti anno 1665. Di-
cata à Provincia Castellana Catholicæ Majestati Se-
renissimæ Hispaniarum Reginae D. Mariæ Anæ Archi-
ducisæ de Austria : & postea Latinè reddita a P. Mel-
chiore Hanel, & dicata Augustissimo Imperatori Leo-
poldo Ignatio, Typis vulgata est Pragæ anno 1672. Se-
cundam verò partem continentem historiam novem
annorum, quibus Ven. Marina supervixit Ven. Ludovi-
co à Ponte ; & insuper ea, quæ memorabilem ejus Obi-
tum reddiderunt, scripsit R. P. Andreas Pinto Ramyrez
ejusdem Societatis , in Regali Salmanticensi Collegio
Sacrarum litterarum interpres , sat orbi litterario no-
tus ob multa, & egregia volumina, quæ in diversos Sa-
cræ Scripturæ libros Typis vulgavit . Hæc pars, eidem
Serenissimæ Reginae Matri ab eadem Provincia Castel-
lana dicata, excussa est Matriti anno 1673. Postea autè

La-

Latine reddita ab eodem. P. Melchiore Hanel, edita est
Pragæ an. 1688.

§. II.

*Quam insignis Sanctitate, & sapientia fuerit
V. P. Ludovicus à Ponte, qui primam par-
tem mirabilis Vitæ Marinaræ de Escobar
adhuc viventis, secretissimè scripsit, &
prælo dispositam reliquit.*

QUicumque vir doctus, & in lectione Librorum
spiritualium versatus, opera Ascetica V. Patris
Ludovici à Ponte evoluerit, & attentè, & cum
reflexione legerit, apertè cognoscet, primò, il-
lum fuisse in Theologia scholastica profundè doctum;
& supra solidam ejus basim fundasse Theologiæ my-
sticæ libros sublimes, quos scripsit. Comperiet rursus,
verum esse, quod in ipsius vita narratur; & authenticè
comprobatum est in processu facto Matrì anno 1629.
fol. 79. ex depositione jurata V. Virginis Marianæ de
S. Joseph Fundatricis Reformati Ordinis Monialium
Sancti Augustini, quas *Agustinas Recoletas* Hispani ap-
pellant; quæ tunc temporis erat Priorissa in Regali
Monasterio Incarnationis, & fuit spiritualis filia Ven.
Patris per multos annos, dum commorata est Vallisole-
ti; illum scilicet singulari, & extraordinaria luce voca-
tum, & illustratum fuisse à Deo ad scribendum, & dire-
gendas animas ad supremam in singulis statibus Ec-
clesiæ perfectionem; per Orationem; meditationem, &
contemplationem, & virtutum omnium exercitium: &
non sine gravi fundamento judicare poterit, Deum,
sicut alios aliis temporibus sanctos viros; ita hujus sæ-
culi

culi seductoribus, & sectæ illuminatorum promotoribus quos *Quietistas* vocant, (quorum errores dannavit Innocentius XI. anno 1687.) objecisse insignem hunc vitæ spiritualis Magistrum, qui in suis Operibus ex professo, & pro dignitate doctrinam tradit ex diametro oppositam illis erroribus; in materia orationis, & interioris communicationis cum Deo, dum agit de contemplatione, & de oratione unionis, & quietis, & de modo, quo ad illam anima disponi debet: ubique tradens modum illum mentaliter orandi, quem S. Ignatius in *admirabili illo exercitiorū libro Sedis Apostolicæ iudicio, & omnium utilitate comprobato* suis filiis commendavit, quem modum sequens obtinuit à Deo ad orationem supernaturalem evehi, in qua extases sæpe passus est, & visionibus atque revelationibus est illustratus.

Illum modum ordinarium orandi mentaliter, exercitando internas animæ rationalis potentias memoriam, intellectum, & voluntatem circa Deum, & mysteria potissimum fidei, cū collucutione interna, & familiari ad Deum; profundè meditando veritates fidei, & hac meditatione excitando ignem affectuum, Charitatis, & aliarum virtutum, immiscendo petitiones; & colloquia cum Deo, & concipiendo proposita fugiendi Vitia, & sectandi virtutes, ita omnibus commendat Magnus iste vitæ spiritualis Magister; ut quamvis ipse elevatus sæpe sit ad modum extraordinarium orationis; tamen de hoc modo extra ordinario loquens in Introductione Meditationum *cap. 11. dicat. Sed hunc modum nec postulare, nec expectare quidem licet, quòd id sit presumptionis, & periculo illusionis expositum, transfigurante se Diabolo in Angelum Lucis; Oblatum autem à Deo submissè, & cautè oportet admittere, servatis documentis, quæ in tertia parte meditatione 19. traduntur, & quinta parte ubi de apparitionibus Christi, præfer-*
tim

tim Meditat. 6. ad illud, *visa sunt ante illos quasi deliramenta verba ista*, Modos extraordinarios Orationis explicat latius in Duce Spirituali tract. 1. cap. 22. & cap. 23. varia documenta, & regulas generales tradit ad cognoscendas veras visiones, inspirationes, & revelationes, & impulsus spiritus boni.

Et in Vita Ven. P. Balthasar Alvarez, cap. 14. postquam luculentè explicuit varia nomina, quibus Mystici appellant Orationem supernaturalem infusam; cur scilicet appelletur Oratio *Præsentia Dei*; cur Oratio *Quietis*, aut *vacationis internæ*, cur *contemplatio*, cur *Oratio silentii*, cur *Oratio unionis*, cur *raptus*, cur *extasis*, cur *Spiritualis volatus*: postmodum subiungit. *Hæc vero insueta, quandoquidem natura sua sunt plena periculi, nec optanda porro sunt, nec postulanda: quin fugienda potius, donec ad ea excipienda Deus ipse compellat; eaque sentienti iudicia faciat, suæ voluntatis esse, hanc ab ipso viam insisti*, & cap. 41. postquam exhibuit responsa quibus P. Balthasar Alvarez diluit obiecta sibi adversus orationem *silentii*, & *quietis* ad quam à Deo elevatus est, postquam per plures annos se exercuerat in profunda meditatione vitæ, & passionis Christi; cap. 42. latè probat quantum momenti, ac securatis habeat modus ordinarius orandi per meditationes, affectus, colloquiaque cum Deo: modumq; hunc proponendum esse omnibus, & tradendum: & ad hoc probandum affert argumenta manifesta, quibus errores Quietistarum omninò dissipantur; His verò argumentis hanc præfationem præmittit: *Ne horum causa, quæ superioribus capitibus exposita sunt, minoris fortasse fiat trita, & tradita ab Sanctissimis viris meditandi via; neu quisquam sua sponte, atq; sententia eos transilire audeat, quos nobis antiqui Patres constituere, cancellos, pretium mihi visum est opere, rationes præcipuas hic proferre summatim, quibus confirmatur;*

*tur; commendaturq; orandi ratio, meditatione divinorum
 mysteriorum, per affectus, petitiones, colloquiaq; cum Deo,
 ad quæ voluntas nostra ex iis impellitur, ac movetur. Et
 postquam late persuasit meditationis usum omnibus
 esse proponendum; subjungit. Id verò certum adeò, ex-
 ploratūq; est, ut, & eos etiã ipsos, qui ad quietis orationem
 evasere, meditationis usum, divinorumq; mysteriorum cõ-
 mentationem aliquam minime respuere oporteat. Cessant
 enim sæpe Dei munera; & impulsus, quibus ad quietem tã-
 tam evēbuntur. Quare necesse est, ut facultatibus ij tunc
 suis utantur; neq; navigiorum sint instar, quæ ventorum
 modò aguntur impulsu; sed triremium similes, lintriumq;
 minorum: qui, ubi cessant venti, remis urgentur, quòd sè
 venti vacent, ac remi, tanquam in malacia hærebunt im-
 moti: ita, ubi instinctus divini flamen, ac nostrarum fa-
 cultatum conatus, & industria desint, in via virtutis otium
 & quietis erit ignava.*

In hoc etiã ordinario orandi modo per plures annos
 se exercuit Ven. Marina de Escobar, antequam à Deo ad
 orationem extraordinariam vocata, imo quasi invita
 tracta fuerit; prout latè narrat Ven. Pater *lib. 1. Vitæ*
ipsius cap. 5. ubi affirmat, illam semper conservasse ma-
 gnum affectum erga modum ordinarium meditandi di-
 vina mysteria, donec à Deo supernaturaliter elevaba-
 tur ad illa videnda modo extraordinario (quod semper
 fiebat præter ipsius votum; imo ipsã sæpe enixè precan-
 te Deum, ne ipsam duceret per viam illam extraordi-
 nariam)

Ut enim in eo *cap. §. 1.* inquit V. P. per duos modos
 seu per duas vias Orationis Deus hanc V. Virginem
 duxit, illam ab unâ transferendo in aliam. *Prima via*
(inquit) fuit via ordinaria, communis, & trita, meditan-
do, & contemplando mysteria nostræ fidei, excitando ar-
 dentes affectus, petitiones, & colloquia cum Domino No-

B

stro;

ffro; qui est modus, qui in Societate Jesu practicatur, & docetur; & in hoc modo perseveravit per multos annos; accepto à Deo singulari hoc favore, qui duravit per totam ejus vitam, quòd scilicet in oratione non diverteretur ad rem aliã diversam ab ea, quam tunc agebat; quamvis per tres continuas horas in oratione perseveraret. Sed multo magis quando Deus illã evexit ad modum extraordinarium orationis, in qua sine discursibus, luce superiore illi manifestabat Divina mysteria; unde resultabat, ut semper esset in presentia Dei; itã adharens, & unita summo bono, ut ad alia non diverteretur. Hastenus Ludovicus à Ponte; qui ibidem §. 2. narrat, Beatam Virginem, quæ in visione se Marinæ conspiciendam dedit, valde approbasse consilium ejus; quo decreverat facere exercitia Spiritualia Societatis per viam discursus, & meditationum de Divinis perfectionibus, & de vita, & morte D. N. Jesu Christi, & de infinitis bonis, quæ per ipsum nobis communicata sunt; illique dixisse; se esse, & fuisse veluti Patronam, & Fundatricem illorum Sanctorum exercitiorum Societatis, & fuisse admatricem, & veluti Magistram Patris S. Ignatii, & in illa hoc opus initium abuisse. Postquam autem hoc narravit, addit V. Pater: Hæc revelatio facta est huic servæ Dei ad approbandum, & laudandum communem modum orandi per viam meditationũ; non tam ut illa ipsum sectaretur semper, quàm ut illum traderet aliis, eis persuadendo, ut huic modo orandi insisterent, & in illo perseverarent; donec Deus eis aliam altiore communicaret, sicut ipsi communicaverat.

Quæ doctrina ita animo hujus Virginis semper fixa stetit; ut in tractatu quodam mystico, quem composuit ad instructionem Superiorum, & Patrum Spiritualium; (quæ descripsit V. P. Ludovicus lib. 5. cap. 32. Vitæ ipsius) Confessoribus impensè commendet, ut animas, quas tractant, ad internam cum Deo communicationem,

hor-

hortentur, & per modum ordinarium orandi dirigant. Debent (inquit ibi §.2.n.7.) illas ducere in hoc exercitio per modum ordinarium, quem nos docent Sancti, & non per alium; videlicet per viam orationis, & meditationis, & gratiarum actionis, & aliarum partium, & continua memoria Dei, & presentia ipsius, & statim subjungit modum, quo se gerere debent cum animabus illis, quæ per viam hanc incedentes, à Deo speciali vocatione elevantur ad modum extraordinarium contemplationis sine discursu, & meditatione.

Regrediendo autem ad Ven. P. Ludovicum à Ponte; qui voluerit quasi manu contrectare, eum fuisse Doctorem à Deo illuminatum, legat libellum illum, quem *Memoriale* nuncupavit, in quo notavit, & manu propria scripsit lumina, & sensa spiritualia, quæ in oratione à Deo accipiebat; qui lingua Hispanica, in qua scriptus erat, primo editus est Hispali, postea Matriti; & demum ex Hispanico in Italicum versus, excussus est hoc anno 1690. Romæ, unâ cum epitome vitæ ipsius: in hoc enim libello tanquam in semine continentur altissima perfectionis documenta, quæ in ipsius operibus sparsim reperiuntur. Quanta autem fuerit fama Sanctitatis hujus præclari Viri apud omnes, inde constare potest, quod quatuordecim mensibus ab ejus obitu, idest anno 1625. Illustrissimus Episcopus Vallisoletanus D. Alphonfus Lopez Gallo processum formaverit super ipsius virtutibus, & miraculis, ut Summum Põtificem informaret. Postea autem anno 1629. alia magis copiosa, & exacta facta sunt Vallisoleti, Salamanticæ, Matriti, Burgis, Lugronii, & alibi: ex quibus, & aliis factis annis 1657. 1660. 1661. & 1662. coram Illustrissimo D. Francisco Joanne Merinero Episcopo Vallisoletano, confecta est authentica relatio, quæ revivisa, & exactissimè collata cum processibus ab Illustris.

Promotore fidei, typis mandata est Romæ an. 1667. & ab Eminentissimo Cardinali Delcio hujus causæ Ponēte præsentata Sacræ Rituum Congregationi; Vi cujus Clemens Nonus Pontifex Maximus decrevit, ut auctoritate Apostolica fierent omnes informationes necessariae ad Beatificationem, & Canonizationem hujus servi Dei: anno autem 1672. in unum convenientes Vallisoleti tres Episcopi, nimirum Illustrissimus Don Joannes de Astorga Episcopus Zamorensis, & Illustrissimus D. Franciscus Alphonsus de Aguayo Episcopus Cæsariensis, simul cum Illustrissimo D. Gabriele de la Calle Episcopo Vallisoletano, processum auctoritate Apostolica confecerunt super vita, & miraculis hujus servi Dei.

In illa autem autentica informatione latina postquã comprobatum est, illum nunquam peccasse mortaliter; subjunguntur hæc verba. *Illam innocentiam usque ad ultimum vitæ spiritum perduxit, duabusq; margaritis adornavit, videlicet Virginitatis flore, & voto non peccandi advertentur venialiter, quod exactissime Observavit: quod est signum eximia perfectionis.*

Ibi comprobantur virtutes omnes in gradu heroico: ibi donum prophetiæ, discretionis spirituum, penetrationis cordium; & donum altissimæ contemplationis, in qua sæpe extases, & raptus patiebatur; ibi gratia curationum, & miraculorum: tandemq; concluditur his verbis: *Quamobrem servum suum Ludovicum à Ponte omnibus, & singulis virtutibus fuisse exornatum, & à Christo D.N. condecoratum, ex superius deductis evidentissimè liquet; cumq; honor sit comes virtutis, virtutem heroicam ac perfectissimam hujus servi Dei, etiam in vita, in morte, & post obitum honor, gloria, fama, & opinio Sanctitatis, pluribus tum in vita, tum in morte, tum ipsa secuta miraculorum signis comprobata comitatur. Præter mi-*

racula autem in vita patrata ; recensentur ibi viginti octo, quæ ad hujus servi Dei invocationem, vel ad tantum reliquiarum ipsius Dominus operatus est.

Vt autem legentibus hoc scriptum aliquam notitiã vitæ hujus insignis Viri, exhibeamus, placet hic transcribere brevem ejus synopsis, quam P. Philippus Alegambe, & P. Nathanael Sotuellus in Bibliotheca scriptorum Societatis exhibent.

§. III.

Synopsis Vitæ Venerabilis Patris Ludovici à Ponte, desumpta ex Bibliotheca Scriptorum Societatis JESU.

Ludovicus de Ponte natione Hispanus, Patria Pincianus ab ipsis incunabilis factus atque educatus ad pietatem. Natus est loco nobili, anno Salutis 1554. die 10. Novembris, & Societatem nostrã expetivit annum agens Vigesimalium, atque admissus est anno 1574. die 2. Decembris, cum jam Philosophicis esset disciplinis instructus, & duos annos in Sac. Theologiæ studio utiliter posuisset. Multum ille quidem, ac diu secum luctatus est animo recipicante ; cum affectus, & diuturna consuetudo, eum traheret ad Sacrum Ordinem Prædicatorum. At ex adverso tanta motionum internarum efficacitate rursus ad Societatem impellebatur præsertim cum cerneret fructum admirabilem, quem in mortalium Salute procuranda, quotidie illa referret, ut reluctari non posset Deo incitanti. Exibat in agrum, ibique laxatis animo habenis, in gemitus, & suspiria, ne dirrumperetur, sese profundebat. Vocabat in Vota Deum, ne se pateretur ignarum esse suæ

voluntatis, in tam ancipiti fluctuatione, quoniam ab ipso unius nutu pendere statuerat. Sex ipsos menses tenuit illa jactatio. Sed quoties ad Orationis quietem se componebat, atque in divino conspectu expendebat res suas, semper hæc illi se cogitatio ingerebat, velle Deum, ut Societati Jesu se adjungeret: cui se tum Deum pœnitens addixit. Cum P. Martini Gutierrez viri clarissimæ Sanctitatis conciones audisset, & Francisci Suarii modestiam in Theologica Disputatione, cui præsidebat, exhibitam, esset admiratus. Methymnæ Campi, posuit Tirocinium Sanctitatis suæ Ludovicus, ubi tuuc ardebant omnia eo igne, quem P. Balthasar Alvarez, paulò ante accenderat, ipse in tam insigni Palæstra, adeo se strenuè exercuit, ut tanquam in absolutum perfectionis exemplar, in eum jam tum cæteri intuerentur. Subinde Majorum jussu profectus est studia litterarum, in quibus longo post se intervallo condiscipulos omnes reliquit propter ardorem animi, promptum ingenium, acre judicium. Sacerdotio initiatus anno Salutis 1580. Aristotelis cursum (ut vocant) docendo Legionem confecit, & Sacram etiam Theologiam professus est acutè, graviter, & eruditè, Aemulatus egregie in publicis actibus, quam adamaverat in Francisco Suario moderationem. Sed cum non minùs Vitæ integritate, ac Religione, quam ingenio, ac doctrina excelleret, Magistri novitiorum, atque Rectoris partes, sæpe subire jussus est, easque per egregiè sustinuit. Sed tenui, vel potius nulla valetudine, qua semper fluctuabatur coactus est abrumpere, & gubernandi, & docendi cursum, & animum ad ea scribenda transferre, quæ longo usu, assidua meditacione, perpetua sui mortificatione didicit; & non tam ex aliorum libris hausit, quam in se ipse expertus est; Nimirum, ut summa quædam capita virtutum ejus delibem. Paupertatis amore

vestibus semper usus est attritis ; modica suppellectili
 atque pertenui, cibis communibus, & nisi morbi prohi-
 berent, & necessitas, in triclinio communi. Virginita-
 tatis decus servavit intemeratum : Virgineam in ore
 totoque habitu corporis modestiam emulatus. Superi-
 ores, etiam quos olim habuerat subditos, aut disci-
 pulos, mirificè observabat, nihil illis inconsultis aggre-
 diabatur ; vel tum cum præerat aliis, habebat adjunctum
 quempiam, cui in sui ipsius tractatione auscultaret : Erat
 in familiari sermone suavissimus ; placidus in omnes
 atque mansuetus, & tam sui despiciens, ut cum ingenio,
 doctrina, prudentia valeret ad miraculum, infimis ta-
 men quibusquè, facile concederet ; sua submitteret
 aliorum iudicio, & promptus ex eorum censura castiga-
 ret. Ornamenta animi sui omni studio contegebat ;
 crebro se coram aliis in publico cœnaculo de erratis
 accusabat. Inflammatissima charitate ferebatur in
 Deum, in cuius semper præsentia versabatur. Multam
 cum Deo familiaritatem contraxerat, quam ipse diu-
 turna oratione fovebat. Erga Ven. Eucharistiam tan-
 to erat affectus, ut integras sæpe noctes coram illa tran-
 saret infomnes, humi provolutus ; die frequentissimè sa-
 lutaret ; qua in re fruebatur liquidissima voluptate, nec
 raro Divinis illustrationibus irradiabatur. Tantis affe-
 ctibus Divina tractabat, aut verius patiebatur, ut sibi
 videretur, interdum ob æstus vehementiam de vita pe-
 riclitari. Oranti aliquando postulanti que vires, ac lu-
 men quibus fretus ex Divino nutu Salutem hominum
 apte procuraret ; Lux divina tam copiosè superinfusa
 est, ut impotens sui surgeret ab oratione, & tamquam
 luminis vim declinaturus inambularet, ingeminaretquè,
 inter gemitus, & suspiria ; *Non plus Domine, non plus ;*
non tantum luminis ; Sufficit, Sufficit : Videbaturquè illi
 cubiculum vivis ignibus inflammari, seque atque ani-
 mam

mam suã exardescere ; futurumque fuisse, ut usura vitæ
 exueretur, nisi Deus impetum temperasset . Atque ex
 illo scribere aggressus est, & se proximorum auxilio, Spi-
 ritu plane Apostolico impendere. Omnibus votis con-
 tenderat Missionem ad Indos impetrare ; sed quando
 ea concessa non fuit, plurimos suis adhortationibus eò
 promovit . Triginta ipsos annos , ita fuit in Salutem
 hominum intentus , ut nunquam ab ea cura vacaret
 Anno 1599. Villagarcia exoravit, ut afflatorum peste
 fervitiis exponeretur, quo in munere versatus est sedu-
 litate permagna . Pollebat eximia vi mentis ad mo-
 tus animorum diversosque Spiritus distinguendos, po-
 tens verbo, & consilio ad turbatos animos componen-
 dos; Arcanas consulentium se cogitationes rimabatur
 divinitus, nec sine admiratione ipsorum cognoscebat .
 Multa docebatur à Deo supra vulgarem modum . Al-
 locutione sola molestas animarum vexationes multis
 excussit ; Corpus suum omni genere severitatis , ita
 confecit, ut totos 36. annos cum morbis, cruciatibusq;
 gravissimis sit conflictatus, ea firmitate animi, ac tole-
 rantia , quæ faceret omnibus admirationem . Certe
 Medici, sine ambiguitate rebantur, eum miraculo vive-
 re; & visos ajunt non semel Angelos fomentis, unctio-
 nibus, aspersioibus, vitam illi retinere fugientem. Vi-
 gesimo ante obitum anno votum conceperat, nullum
 se animo deliberato peccatum quantumvis tenue ad-
 missurum nam nullum unquam lethale crimen sibi cõ-
 scivisse in comperto est . Ex eo tempore nihil in ipso
 notari potuit, quod constaret esse capax reprehensio-
 nis . Unus erat Confessarii labor, idoneam absolutio-
 ni materiam in ipso reperire . Multa ad hæc à Deo
 gratuita dona accepit . Præstitit enim facilitate lacry-
 marum, gratia Sanitatum, Spiritu Prophetiæ, prudentia
 supra humanam eximia . Sæpe toto coruscare corpore
 visus

visus est; nonnunquam oranti globus clarissimi fulgoris impendere, aliquando media in luce totus radiare contremiscente conclavi, & tignis in laqueari stridentibus. Mortis suæ diem, atque horam illum præsensisse non ex vario coniectura est; nam & Sacramentis festinato se muniri postulavit, & resolutionis suæ tempus instare disertè asseruit, & cum tribus horis Scriptionē quandam urfisset, ea absoluta tamquam functus officio, quo tenebatur in corpore; *Nunc dimittis, inquit, Servū tuum Domine in pace.* Demum inter dicendum, *In manus tuas Domine commendo Spiritum meum,* placidissimè expiravit Vallisoleti die 17. Februarii anno Salutis 1624. ætatis 70. ab adita Societate 50. ab emissa professione 4. Votorum 21. Mortuo vultus quàm vivo serenior fuit: manus flexibiles, & tractabiles, Visi frequentes Angeli cadaver stipare. Funus magno concursu celebratum est, & venerationis ergo vestes direptæ, capilli præcisi, exequiæ etiam solemnes institutæ, adiuncta panegyri. Sepultus est eodem modo, quem Societas in Sanctorum Virorum funeribus consuevit adhibere, & post menses omnino 19. ad diem 18. Septembris anno 1625. corpus digniorem in locum translatum est, tabe quidem jam magna ex parte confectū; sed quod pro miraculo fuit, nullo graveolentiæ vestigio, cerebrum vero in exeso jam cranio prorsus fuit illibatum. Multis à morte visus est in claro lumine conspicuus; quibus, vel immensum gloriæ suæ pondus declarabat, vel ea visitatione recreatos aliquo beneficio donabat. Cum aliis quoque atq; aliis ornamentis insignis conspectus est, tum vero etiam aliquando cum peculiari Doctoris laureola, ac prærogativa; propterea quod inspirante Deo salutarem Ecclesiæ doctrinam in suis lucubrationibus propinasset. Post hæc increbrescente fama Sanctitatis, & miraculorum, quæ Deus

C

di-

dignatus est meritis, & invocatione Ven. P. Ludovici, sæpius operari, supplicatum est Sedi Apostolicæ à Rege Catholico non semel, aut bis, sed pluries; nec non à multis Archiepiscopis, Episcopis Capitulis Ecclesiarum, & Civitatibus Hispaniæ, ut Sancta Sedes illum referat in Album Beatorum, ac deinde Sanctorum; quod progressu temporis confidimus omnino obtinendum.

Ejus vitam fusc scriptam edidit noster Franciscus Cachupin: scripsit porrò materna lingua Ludovicus per multa, quæ Melchior Treuinnius noster Latinitate donavit, & alii linguis aliis; Ea sunt.

Meditationes de præcipuis Fidei Nostræ misteriis Vitæ, ac Passionis D. N. JESU Christi, & B. V. Mariæ, Sanctorumque. & Evangeliorum occurrentium, cum Orationis Mentalis circa eadem praxi; in sex partes distributæ, & duobus Tomis in 4. comprehensæ.

Dux Spiritualis, in quo agitur de Oratione, Meditatione, & contemplatione; De Visitationibus Divinis, gratiisque extraordinariis.

De Mortificatione, Heroicis actionibus, sive operibus, quæ illas omnes comitantur in 4.

De Christiani Nominis perfectione in quolibet ejus Vitæ genere Tomis quatuor in 4.

Vita P. Balthasar Alvarez Soc. Jesu Religiosi in 4. Latine post hæc scripsit Ludovicus, atque edidit.

Expositionem Moralem, & Mysticam in Canticum Canticorum, quæ continet exhortationes, sive sermones de omnibus Christianæ Religionis Misteriis, atque Virtutibus Tomis 2. in folio. Rursum prælo paratum reliquit Hispanicè in 8.

Directorium Spirituale ad Confessionem, Communionem, & Sacrificium Missæ obeunda; seu de recto Sacramentorum usu; quod anno 1625. Hispali editum est in 8. uno scilicet anno post obitum Authoris.

Reli-

Reliquit etiã descriptam à se, usque ad suum obitum, Vitam lectissimæ, & admirandæ Virginis D. Marinæ de Escobar; cujus Vitæ partem reliquam ab anno 1624. quo Ludovicus obiit, usque ad annum 1633. quo ad diem 9. Junii decessit ipsa D. Marina, pertexuit P. Michael Orenna, qui Ludovico in gubernanda ejus conscientia suceffit.

Haëtenus P. Nathanael Sotuellus in Bibliotheca Societatis, qui hoc ultimum affirmavit; non quia P. Michael Orenna in lucem emiserit secundam illam partem Vitæ; sed quia, cum esset Confessarius illius V. Virginis, notabat, & in codices referebat, ea quæ illis novem annis gessit, ac passa est; & materiam præbuit P. Andrea Pinto, ut opus illud disponderet multis post annis. Fuit autem P. Orenna Vir magnæ authoritatis in Provincia Castellana; utpotà, qui in illa Provincialis exercuit munus, & Rectoris in Collegiis præcipuis; præsertim in Collegio S. Ambrosii, in quo vixit, & obiit V. P. Ludovicus à Ponte: & Vir magnæ Virtutis, & prudentiæ: ut velinde colligitur, quod meruerit succedere Ludovico à Ponte in munere Confessarii, & Directoris D. Marinæ de Escobar, cujus nomen celebre erat per totam Hispaniam; & quam Deus per viam adeo extraordinariam deducebat: ejusmodi enim feminae Directio, nõ peterat cõmitti nisi Viro valde spirituali, docto, & prudenti. Munus autem hoc cumulatissimè explevit; indefessè assistens eidè Virgini in vita, & in morte. Post ejus autem obitum multum inservivit Illustrissimo Episcopo Vallisoletano D. Fr. Gregorio de Pedrosa; qui commotus fama Sanctitatis illius Fœminæ, duobus mēsis post ipsius mortem informationem exactissimam confecit super ejus mirabili Vita, Prophetiis, & Miraculis; in qua informatione examinati sunt Testes omni exceptione Majores: Magnates, Senatores Regii, Do-

20
ctores, & Religiosi magnæ authoritatis, & Sapientiæ; inter quos, unus fuit ipse P. Orenna, qui illam tam intimè norat, & alter P. Fr. Andreas à Pöte ex ordine S. Domini Vir præstantis Virtutis, & prudentiæ, frater germanus V. P. Ludovici, qui ob continuas ipsius infirmitates per multos annos Domum hujus Virginis bis per hebdomadam adibat; ut ejus confessionem audiret, & ab ejus ore exciperet, & in commentarios referret Visiones, & revelationes, quas habuerat; ut narrat ipse P. Ludovicus in Prologo, seu introductione Vitæ hujus Virginis postmodum describendo.

Uterque autem Testimonium juratum perhibuit de veritate Virtutum insignium, & Donorum, quibus. P. Ludovicus à Ponte in Prologo illius Historiæ, & in toto corpore operis affirmat, mirabilem hanc Virginem ornata[m] fuisse à Deo; ut constabit legenti tertium librum secundæ partis Vitæ illius, in quo omnia illa latè narrantur à P. Pinto, ea deducente ex informationibus authenticè confectis ab Ordinario. Nihil enim circa Virtutes, & Dona Marinæ de Escobar scriptum est à P. Ludovico de Ponte, quod non inveniatur cum juramento confirmatum ab iis, & similibus Testibus.

Ex his constat, quanti faciendum sit judicium Venerab. P. Ludovici à Ponte in approbatione visionum, & Revelationum Virginis Marinæ de Escobar. Ut autem omnibus constet illum habuisse prudentissimum fundamentum ad judicandum, hujus scemine mirabiles Visiones, & Revelationes, non à Diabolo, nec à proprio ipsius Virginis spiritu, sed ab spiritu Dei fuisse profectas, libet subiicere hic motiva, quibus ad ita judicandum inductus est; in medium producendo Prologum gravissimum, quem illi Historiæ præfixit; quemque attentè legere, ac expendere satis erit ad ferendam sententiam.

IN-

INTRODVCTIO

V. P. LUDOVICI DE PONTE

Ad primam Partem Mirabilis Vitæ

VENERABILIS VIRGINIS

MARINÆ DE ESCOBAR.



Introductionem ad Vitam Mirabilem Venerabilis Virginis Marinæ de Escobar, quâ V.P. Ludovicus de Ponte ipsius primæ Partis Author, scripsit ad declarandam Præstantiam Utilitatem, & Certitudinem illius, tamquam non parum utilem meæ dissertationi confirmandæ, eidem adjungere, & præmittere existimavi; præcipuè cum ex introductione hac, quasi ex Chrystallino veritatis, & prudentiæ fonte, præcipuas rationes, ad meam in ea sententiam stabiliendam hauserim. Et quidem, ut veriùs, & clariùs in hac parte V.P. sensus omnibus innotescat; non tam sensum ipsius introductionis depromere, quàm ad verbum ipsam, & ut ex Hispanico idiomate in latinum versam, & Typis vulgatam Prægæ Anno 1672. eam habemus, transcribere decrevi. Quapropter a Prologo, qui ad latinam interpretationem præmittitur, initium sumere aptissimum judicavi.

Pro-

Prologus, quem præmittit ad primam Partem
 Mirabilis Vitæ Venerabilis Virginis Ma-
 rinæ de Escobar à se latinè redditam
 P. Melchior Hanel Societa-
 tis JESV.

SI, ex Divi Gregorii (*hom. 6. in Ezech.*) sententiâ, cuiquam terrarum regioni obtigit benedictio, qua moribundus Isaac suum beavit, Jacobum; obtigisse prorsus credenda est Regno Hispaniæ, quæ tutelari gloriatur Jacobo. Libeat magni Ecclesiæ Doctoris, maximi Pontificis, verba excipere: *Quoniam*, inquit ille, *inter electos DEI*, alii in *contemplationem surgunt*, alii verò per *activæ vitæ solummodò opera pinguescunt*, rectè in benedictione illa Isaac dicitur. *Det tibi Dominus de rore Cæli, & de pinguedine Terræ. Ros etenim desupèr, & subtiliter cadit: & nos toties de rore Cæli accipimus, quoties per infusionem contemplationis intimæ, de supernis aliquid tenuitèr videmus: cum verò bona opera, etiam per corpus agimus, de terræ pinguedine ditamur.* Ita Gregorius. Quis porrò recenseat, quos Jacobeâ forte felix, Hispania numerat electos DEI, tum contemplatione rerum Cœlestium sublimes, tum activæ vitæ sanctis operibus opimos. ut non immeritò, Christiani Orbis consensu, fœcunda Sanctorum Parens habeatur. Illa Ecclesia, ut verustiores taceam, etiam *cum abundavit iniquitas, & refriguit charitas multorum*, dedit Dominicum Gusmanum, Vincentium Ferrerium; illa Ignatium Loyolam, Franciscum Xaverium, Terefiam à Jesu, Thomam Villanovam, Petrum de Alcantara, atque tot alios præterea tulit, quos, & si Sanctorum Fastis Romana nec dum adscripserit Sedes, ob
 exa-

exactam tamen piè, ac laudabiliter vitam, venerabundi suscipimus: e quibus una sanè est, Venerabilis Virgo Marina de Escobar, cujus hoc nostro sæculo, rarè Sanctitatis, atque collatorum illi cœlitas illustrium donorum fama, extrà Hispaniam quaqua versum diffusa, neminem non rapit in admirationem. Me profecto ita abripuit, ut postquam primam hujus Admirabilis Virginis Partem Vitæ, nuperrimè Typis Hispanicis excusam conspexi, animum ad illam interpretandam adjecerim: stimulantibus me etiam ad hoc audendum Sapientibus Viris, ac in primis (quem singularis observantiæ ergò nomino) venerandæ memoriæ P. Roderico de Arriaga; qui, quòd in domestico hujus famulæ DEI Sacrario Sacerdos Divinam Hostiam litaverit, atque conspectu ipsius, & alloquio fuerit fruitus, non in postremis id gratiis habebat, ac facundum semper, prò opportunitate, ejusdem agebat Encomiasten. Dignum insuper operæpretium me relaturum existimabam, si sacram hanc historiam latinitate à me donatam, toti mundo redderem intelligibilem: quod quidem feci, tamen si stylo simpliciorum, quàm, ut elegantioris forte, cuiuspiam orationis amanti, satisfecerim. Atque si quis rationem facti petat, dicam: Cura mihi fuit, ne quoad ejus fieri posset negligere simplicem stylum, & verba dictæ Virginis Hispanica, quibus ipsa suas, atque non rarò satis obscure, & involutè conscripsit gratias, & ex quibus hanc primam vitæ Partem contexuit venerabilis Pater Ludovicus de Ponte, qui etiam dubio procul scribere cultiùs potuisset hispanicè, nisi, & ille quemadmodum in sua ad eam introductione ait, sollicitus fuisset, ut à Marinæ stylo, & verbis non recederet; eò quod illi viderentur esse ipsiusmet DEI, & ex ejusdem inspiratione magis genuinè manifestarent mysteria, quàm alia, quæ visa fuissent elegantiora. Videlicet simplex est

est ipſius quoque, Dei cum ſimplicibus (quales, præ viris, ſolent eſſe foemina) ſermocinatio, & ea Sanctis acceptiſſima eſt dictio, quæ cum eorum modeſtia, morumque ſimplicitate conſentit. Neque liber hic ad aures mulcendas, aut linguam poliendam; ſed animum ſanctioribus imbuendum placitis, ac doctrinis eſt ſcriptus: *latet ſiquidem in illo, licet ſub verborum humilitate, Theſaurus incomparabilis, qui divina pietatis experientia, offertur cunctis bonæ voluntatis hominibus* quod Landſpergius, quoque dixit in a piſtola Apologetica, ad Lectorem præfixa libro, Divinarum inſinuationum, Sanctæ Gertrudis, & rem, non verba quærenda eſſe, ubi de ſalute agitur, reſponderunt Viri prudentiſſimi Typographo, ſolicitato de ſtylo expoliendo, in editione Dialogorum Divæ Catharinæ Senenſis. Quid quòd Judice Eminentiſſimo Cardinali Baronio (tom. 3. à. nu. 356.) *ſuſpectum redditur, quidquid obducitur ſuco, atque pigmentis: pulchiorque eniteſcit, ipſa ſua puritate, ſimplicitas: quæ quod mentiri neſciat, omne, quamvis ad ornatum compoſitum velamentum, abhorret?* Itaque, nè te prudēs Lector, ſtylus offendat rudior, & quandoque, ob inuſitata cultis ſcriptoribus intercifa, ac periodos in ſpeciem intricatas, cacophonias, & tautologias inamænus: *rem ipſam appendo* (loquor cum Roſveydo in Prolegomenis ad vitas Patrum) *non verba; fructum lege, non folia, florem carpe: ne volaticos deſidera pappos;* V. P. Ludovicum loquentem audi; & vale, DEUMque pro me peccatore ora, ad cujus unius *majoſorem gloriam* interpretem egi.

§ I.

*Indicat Revelationes, quas Marina pro ea con-
scribenda habuit, & fundamenta qui-
bus innititur, veritas, & Certi-
tudo hujus Historie.*

I **M**agnus noster DEUS ac Dominus, qualis omnibus fuit ætatibus, ac temporibus, estque etiam num in Sanctis suis, dignatus est sibi diebus nostris deligere Venerabilem Virginem, nomine Marinam de Escobar, ut in ea immensos infinitæ suæ sapientiæ, charitatis, & misericordiæ thesauros, atque inæstimabiles gratiæ divitias manifestaret, internè cum ipsa conversando, ac omnia illi declarando Mysteria, quæ nos Catholica docet Fides, celebratque Ecclesia; modis usque ad eò novis, miris ac inusitatis, ut exhibiti eidem favores nullatenus cedant illis, quos S. Gertrudi, S. Mechtildi, S. Brigittæ, S. Catharinæ senensi, S. Teresiæ à JESU, aliisque consimilibus præstitisse scribitur; quandoquidem non est abbreviata potens manus Domini, neque exhausta ipsius Sapientia, vel imminuta Charitas, quo minus sciat, possit, ac velit innovare miracula, quæ operatus est in Sanctis antecedentibus, & alia patrare paria, atque subinde majora per modò Viventes. Sunt etenim tot res eximiæ, quas DEUS de se ipso, deque suis Divinis perfectionibus, nec non de iis, quæ hominis egit causâ, revelare potest; sunt quoque tam varii modi, quibus talia revelare consuevit, ut, postquam illa cuiquam mortalium patefecerit, semper ei supersint alia infinita, ad eò novis manifestanda modis, ut omnem superent imaginationem:

D

quo-

quorum illustrissimum videtur voluisse facere compendium, comunicando se Venerabili isti Virgini, omnibus ferè cœlestis, ac Divinæ Communicationis generibus, recensitis in Scriptura Sacra, atque in Vitis Sanctorum.

2 Et quantumvis verum sit, omnia ista, utpotè interna, & secretè acta, DEUM inter, & animam, non potuisse sciri, præterquam ab ipsâmet Virgine (quæ DEO jubente, illa conscientia suâ appericbat Arbitris, & propter fines, quos mox intelligemus, conscribebat) non tamen propterea minus credenda sunt, & probanda, quam creditæ, & probatæ fuerint res admirandæ prædictarum quinque Sanctarum, quamvis illæ ipsæ eas manifestaverint; cum sint confirmatæ iis operibus, ac signis, quæ nos sufficienter convincant, quòd nec ipsæ fallantur, neque nos fallant, ex ignorantia, passione, vel malitia: & quandoque sint ejusmodi, ut quamvis illæ voluissent, non tamen scivissent confingere, nisi ab alio altioris ordinis spiritu, ad hoc permotæ fuissent.

3 Et quâvis certum sit, & experienciâ compertum, quod his temporibus (quæ sunt occulta DEI judicia) se transfiguret Satanas in Angelum lucis, fingendo, & simulando ea, quæ apparent Sancta, ac Divina, tam internè, quàm externè; certus nihilominus sum, quantum præsentis vitæ conditio patitur, spiritum, quo agebatur, venerabilis Marina, quique cum illa agebat, & ea ipsi manifestabat arcana, ac secreta, quæ referemus, non fuisse malum, sed bonum; non Dæmonem, sed verum DEUM, ipsumque servatorem nostrum, subservientibus illi, & ab eo commissa exequentibus bonis Angelis, Sanctisque Cœlitibus, atque in primis Sacratissimâ Virgine ipsius Matre. Si quidem rigido admodum, & sollicito plurimum, quam triginta annorum, quibus mihi rerum suarum, tum oratenus; tum scripto reddebat ratio-

tio-

tionem, examine, universa, quæ illi eveniebant, semper inveni, habere omnia boni Spiritus signa nobis à sacris literis, & Sanctis Patribus indicata. Eorum ego, ne sim prolixus, succinctam dumtaxat dabo epitomen, quam fusa isthæc comprobabit Historia.

4 Inprimis namque in verbis, operibus, & actionibus, atque rebus omnibus ejus spiritus, qui ipsi loquebatur, quidam elucebat Divinum; eam siquidem Sapientiam, & excellentiam, eam veritatem, & puritatem, eam gravitatem, & discretionem, eam denique Sanctitatem in summo perfectionis præferebant gradu, ut abundè ostenderent, fontem, ex quo procederent, esse DEUM; cum in DEO nihil reperiri possit, quod malum, vel falsum, leve, aut imperfectum, & indignum sit tantæ Domini Majestate.

5 Præterea, quemadmodum arbor cognoscitur ex fructibus, ita se Divinus Spiritus in ista sua Famula, manifestabat, per septem raras illi collatas virtutes, quæ sunt septem certa Sancti Spiritus, iis prædico assistentis, indicia. Prima fuit singularis, quædam animæ, & corporis puritas, atque summus cujuscumque, quantumvis levis culpæ, vel nævi horror, nec non prorsus rarum Castitatis donum, quo fuit à tentationibus, & motibus illi contrariis præservata. Admirabilior erat altera, quod illam in tam profunda sui ipsius cognitione fundaverit, ut inter revelationes, & favores usque adeo prodigiosos, ab omni fuerit superbia, & inani gloria, atque etiam ejus tentatione immunis. Tertia, quod ipsi cor ita pacatum, & præsentia sui DEI inhærens dederit, ut in oratione, & contemplatione mentali nunquam, aut rarissimè passâ fuerit, vel involuntarias mentis evagationes, quamvis illam ad multas horas produceret. Quarta, summus fuit timor, ne circumveniretur à Diabolo in rebus extraordinariis, quæ illi acci-

debant; ideoque omnem sibi possibilem adhibebat diligentiam, ut eam DEUS ab hujuscemodi illusionibus liberaret, vel talibus viis non duceret; ita ut nemo unquam tam fuerit cupidus similibus visitationum, & gratiarum, quam illa fuit sollicita, ut resisteret, ac reluctaretur iis acceptandis, donec ipsam DEUS induxisset ad consensum. Quinta, sunt vehementia desideria, quibus tenebatur, ut quoslibet toleraret contemptus, & cruciatus pro DEO. Unde quando illam Divina Majestas postremo vitæ tempore, sustinendis horridissimis molestiis, ac doloribus exercuit, tantopere acquiescebat, ut se desolatam diceret morituram, nisi modicum illud toleravisset, quod ipsi DEUS ferendum obtulerat. Hinc etiam, inter tam terribiles cruciatus, perfectissimè suam Divinæ conformabat voluntatem, neque ulla ipsi crux erat tam gravis, quam timor, quomodo libet deflectendi ab ea conformitate. Sexta est ingens zelus salutis animarum, ut mille dedisset vitas, ne vel una damnaretur: tamque tenera commiseratio, quæ proximorum condolebat miseriis, quæ in ipsius deveniebant notitiam; ut illis conficeretur, & gravaretur, ac si propriæ ipsius essent quæ sunt virtutes, in quibus Evangelica est sita perfectio, & de quibus in primo agetur libro. Denique summam habuit propensionem, non tamen impetuosam, neque præcipitè, sed admodum moderatam, & circumspectam, ad reddendam omnium rerum suarum rationem suæ Arbitro conscientie, à quo dirigebatur; noluitque se ipsam, seu proprio iudicio, seu interno Spiritus impetu, regere, nisi accederet approbatio Magistri, ac Ducis visibilis, quem illi dederat DEUS, in iis rebus, quæ ipsius indigebant directione.

6. Hæ septem heroicæ virtutes, seu effectus animæ, ita adversantur intentionibus Satanæ, cōveniuntque tam propriè DEO, qui desiderat, ac præterdit salutem,

atque

atq; perfectionem suorum Electorum, ut dum illæ firmiter, ac stabiliter in anima perseverant(quemadmodum perseveraverunt in Venerabili Marina, quamdiu ego ipsi fui à confessionibus) sint septem indubitata testimonia, septemq; certissima indicia ejusdem DEI, qui illam adedò insuetis ducit viis, reddendo ipsam immunem ab omni diaboli, vel proprii spiritus illusionē. Et propterea illi dedit naturam, indè quidem extremè reformidantem ejusmodi dolos, hinc verò vividam, perspicacem, ac impigram, & celerem in examinandis, & perspicendis rebus internis, quæ illi eveniebant; itaut magnâ hujus sollicitudinis parte, suos liberaret Confessarios. Idcirco, non absq; sufficienti fundamento, existimo, quod sicut DEUS in sua Ecclesia constituit Sanctum Franciscum ad paupertatis, & alios Sanctos, ad aliorum virtutum præbendum exemplum; ita periculosis his temporibus proposuerit hanc Virginē, ut timoris, & sollicitudinis, cautela, circumspeditionisq; ac disquisitionis exemplo doceret, quomodo Divinæ Revelationes, & inusitatae gratiæ tutò sint suscipiendæ.

§. II.

*Deus jubet, Marinam ob valdè sublimos fines,
ea scribere, quæ ipsi eveniebant.*

7. **E**X dictis sequitur, Venerabilem Virginem Marinam de Escobar ea, quæ ipsi eveniebant, non ex sua propria voluntate, neque ex animi levitate conscripsisse, & propalasse; cum potiùs ab hac re summè abhorruerit, usquedum id facere juberetur a suo Confessario Patre Petro de Leon; ut illa ipse diutiùs expendere posset, atque discutere, & exhibere aliis authoritate pollentibus, rerumque spiritualium peritis, ac doctis viris, qui suum de iis judicium
di-

30
differrent. Cum tamen is paulo post, connivens in illius repugnantia, ei dixisset, sufficere id, quod scripserat; ipsemet DEUS, eam denuò jussit cœpta prosequi, manifestatis illi admirandis hujus scriptionis finibus, & motivis, quod ipsa his refert verbis.

8. Postquam à DEO multas obtinuissem gratias; & ingentia solatia, fuissetque ab illo multoties, visitata, & illuminata, ut cognoscerem sublimissima ipsius mysteria, dicebat mihi aliquot continuis diebus: *Scribe quod tecum ago*. Ego verò advertens mihi à Divina Majestate iterari ea verba, dixi illi quâdam vice: *Domine; quare tua Majestas id à me vult scribi? an ne fortitan idcirco, ut reddere possim meo Confessario rationem eorum, quæ fiunt in mea anima? responditque mihi DEUS: Non ideo*. Tum ego rursus. *Quare igitur mi Domine? & Dominus mihi dixit. Facit ad meam gloriam, ut hoc scribas*. Ideòque subito incepti scribere, quia istud dictum tantopere me ad scriptionem cōpulit, ut absque magno conscientia remorsu eâ supersedere non possem. Verum & si scriberem: unâ id spectabam, conabarque consequi a DEO, ac postulabam quàm enixissimè, & ex intimo corde meo, ut me illuminaret, daretque mihi gratiam, ne quidquam fieret adversum Sanctissimæ ipsius voluntati: maluissem enim mihi eximere linguam, & amputare manus, quam vel unum verbum, DEO nolente, loqui, aut scribere. Quocirca timens meam malitiam, & astutiam diaboli, continuè dicebam: *Domine vis ne id a me fieri? & Divina Majestas mihi respondit: Ita; quia ista tibi, non tui solius tantum fiunt gratia, sed etiam propter alios*. Alias verò addidit: *Noveris hoc saculo reperiri in Mundo homines, qui vehementer falluntur, dum cogitant, ac dicunt, non esse tempus, quale quondam erat; & à me non conferri gratias, neque esse, cui eas possim conferre, quas consueverim*

rim

rim aliis prestare temporibus; quasi verò jam non essem, idem, qui eram. Juverit ergo eos intelligere, aliter se rem habere. Post hæc nihil ominùs adhuc metuebam, ideòque illi dixi cum magna verecundia, & confusione: Domine, ergonè ego miserabilis esse debeo instar campanæ, quæ alios advocat, ut veniant ad templum, licèt ipsa remaneat in Campanili? fac de me quod vis, neque enim ego aliud volo. Ad hoc mihi respondit quædam verba consolatoria, indicavitque nonnullas personas, quibus esset profuturum id, quod mecum agebat: Ego verò respondi. Plurimum gaudeo, Domine, quod cum ego tam parùm proficiam ex gratiis, quas mihi præstas, reperiat, qui ex illis proficiat.

9. His animata, perrexit scribere ea, quæ illi contingebant, cum tunc esset provectæ ætatis quadraginta quatuor annorum, sed DEUS indulgendo ipsius naturali repugnantia, illi dixit, ut hac vice scribendo consequenter impletet sexaginta circiter philyras chartæ; quodque deindè esset amplius aliquid sibi placiturum. Atque ita fecit, consignando quæcumque illi acciderant, & accidebant, usque ad ætatem quinquaginta annorum, aut aliquantum ultrà; quo tempore cum ipsa met scribere non posset, eò quod tum esset vehementer infirma ac debilis, ego, qui jam eram ipsius Confessarius, mortuo Patre Petro de Leon, illi mandavi, ut scribenda dictaret cuidam probatæ virtutis Virgini Adolescentulæ, quæ ipsi convivebat. Id verò illa egrè tulit, ob ingentem naturæ suæ resistantiam, abhorrentis à talibus cuiquam alteri patefaciendis, quàm Arbitro Conscientiæ. Et cum in hac re esset remissior, vidit à dextris Christum Dominum, quasi duobus à se distantem passibus, qui valdè gravitèr, & instar redarguentis ipsi dixit. *Quæ est hæc tua repugnantia Marina, cum, tam ex ordinaria Doctrina, quàm ex mea illuminatione,*
scias,

scias, me velle, ut obedias tuo Confessario? Nunc verò ego intervenio, precipiendo, ac mandando, ut id facias, neque ultrà repugnes. Nunquid fortè nosti, qualia sint mea iudicia, ac intentiones? Et quam ob causam, aut cur, seu propter quem finem tibi ex mea misericordia has gratias conferam? atque an hunc in modum tecum forsan agam, quod id merearis? an potius propter multorum aliorum, atque alicujus speciatim bonum, & emolumentum? Supercede hac difficultate, Marina; obtempera tuo Magistro.

Non multò post incepit dubitare, utrum non committeret aliquem errorem in scribendis suis rebus, dixitque Christo Domino. Cuperem sanè vehementer, Domine, bonum paucis, & multa significantibus verbis scribendi modum assequi; sicut tu interdum meam animam edoces de tuis mysteriis: quod enim scribo, recensendo misericordias quas mihi præstas, multorum est verborum, videnturq; mihi istæ narrationes fusæ. audivit me Dominus, & penetravit cor meum, responditq; mihi quàm gravissimè, quasi interpositâ aliquâ morâ, quæ indicabat magnam majestatem: *Non dicis bene, qua namque ratione modum, quo te ego instruo, tibi que dicto, qualiter te conscribere oporteat meas veritates, ac mysteria, ac gratias, quàs tibi præsto, vocas narrationes fusas? depone istam ignorantiam, & simplicitatem, ac tace, & obedi.*

10. Istâ Christi Domini responsione indicatur id, quod hæc ejus famula aliquoties mihi asseruit, sæpè sibi ab illo inspiratum fuisse, & quasi dictatum; quod scribebat ne verbo mutato, in rebus majoris momenti, quas suggerebat scribenti; quod si quandoque evenit ut non meminisset, quid acciderit, dum tamen ordiebatur scriptionem, id ipsi DEUS in memoriam exactè revocabat. Quando verò de re quapiam dubitabat, itanè se haberet; an secus, interrogabat de ea Dominum, vel
ali-

aliquem assistentium sibi Angelorum, qui illi eximebant dubium.

11. Tanto porrò tenebatur desiderio non aberrandi à vero, ut aliquando dixerit DEO: Si tu velles, libèter dicerem meo Patri Spirituali, cui committis mea scripta, ut omnia, quæ in illis reperiuntur, & quæ ipsi non integerrimè satisfaciunt, deleat, laceret, ac destruat. Respondit autem ei Dominus, suaviter, & graviter illam corripiens: *Dic age, Marina, quis te Dominam constituit rei non tuæ, sed meæ, quam ità velis jubere destrui, ac aboleri? nunquid forsàn plus es, quam miserabile meæ potentis manus instrumentum? tace, & relinque ista, quæ ego facio prò meo beneplacito, ac providentia, & obedi, nullo verbo dicto.*

12. Sic anima ipsius reprehensa fuit, & convicta, ut faceret, quod illi à DEO præcipiebatur. Hoc audito, incepit dictare, quæ ipsi denuò eveniebant, alicui suarum contubernalium, vel suis Confessariis; brevi tamen adeo debilitata decubuit in lecto, ut illam oportuerit esse contentam, rerum suarum mihi rationè reddere ore tenus, quas ego conscriberem. Cùm autem ego etiam propter meos graves, & continuos morbos illi possem adesse paucis vicibus; hūc defectum supplevit Pater Frater Andreas de Ponte, meus Germanus, ex Ordine Sancti Dominici, vir magnæ virtutis, zeli, & Spiritus, qui magnâ charitate, ac diligentia, per plures annos illam bis intra septimanam adibat, ut exciperet ipsius confessionem, & propter alia, quæ ei committebat: eâdemque occasione, me volente, illi referebat, quæ ipsi cum Domino acciderant; ille verò omnia fideliter consignabat, ac deinde ipsi exhibebat, ut dispiceret, an aliquid addendum existimaret, vel omitendum; atq; ità correctâ mihi tradebat, & ego eadem cum ipsa conferebam, ac iteratò corrigebam.

Jubet Christus Dominus Confessarium è Societate JESU hæc scripta disponere, ut suo tempore evulgentur.

POST hæc intellexi ex relatione Marinæ, DEI voluntatem esse, ut Societas, atque speciatim ego (donec viverē) utpotè ipsius Cōfessarius, haberē curam earum chartarum, ut redigerentur in ordinem, & suo tempore evulgarentur: atq; à Sancto Patre nostro Ignatio, jussa fuit mihi dicere, *ut hoc facerem, tanquam si ad me unicè spectaret, quemadmodum spectabat; sciremque esse partum domesticum*: quibus ultimis verbis significavit à Domino DEO assumptam fuisse Societatem prò instrumento ad conferendas illi has gratias, atque ut ipsa illam suâ educaret doctrinâ, & institutione. Habitâ hac monitione cœpi dubitare, bonumne foret, statim hac de re agere, p. iusquam me è medio mors tolleret, quæ continuè meis oculis observabatur; & quia id procrastinabam, Dominus in Vigilia Sancti Petri, anno 1614. (qui ætatis Marinæ erat sexagesimus) gravi, & imperiosa voce illi dixit: *Audis ne? jam est tempus, ut redigantur in ordinem, quæ tibi contigerunt, & gratia tibi à me præstita; dic tuo Confessario, ut id cito faciat, ac si tibi, vel ipsi paulò post esset moriendum: hoc enim statuto tempore eveniet.* Isto monito, & judicio gravissimorum Patrum Societatis permotus, accinxi me ad opus quam secretissimè, donec adesset tempus illius publicandi; quod esse consuevit post mortem personæ, cujus gesta conscribuntur.

14. Et quantumvis id exequi fuisset facile, si secutus fuisset ordinem, quo suas ipsa res conscribebat, vel

vel dictabat; quia tamen omnia erant indigesta, transi-
liebat enim ex his ad alia, & quædam interrompebat,
ut ad prorsus diversa transiret, judicavi è majore DEI
gloria futurum si assumerem aliquem modum, quo clari-
rius, ac distinctius exponeretur excellentia, & sublimi-
tas mysteriorum nostræ fidei, ac mirabilium Operum,
quæ Divina Majestas in ista sua Famula, & per illam
operata est, etsi quandoque non haberetur ratio ordi-
nis temporum, ubi illum sciri parùm referret: semper
tamen fui sollicitus, ut non recederem ab ejus stylo,
& verbis eo, quo mihi viderentur ipsiusmet esse DEI,
& ex ejusdem inspiratione magis genuinè manifesta-
rent mysteria, quàm alia, quæ visa fuissent elegantio-
ra; demptis etiam nonnullis, quæ ipsa adiungebat, ac
repetebat, ut se magis aperiret, vel declararet repu-
gnantiam, quam sentiebat, in acceptandis adeò insue-
tis gratiis, donec adigeretur ad illas admittēdas. Quas
equidem repugnantias repeto sæpius, ut sint instar the-
riacæ, seu antidoti, contra venenum, quod solent hau-
rire Tirones, & imperfecti ex lectione hujusmodi reve-
lationum, dum similibus vana concipiunt desideria:
quod non facient, videntes Venerabilem Marinam se
ita illas recusando, cautèque admittendo, dignam red-
didisse, ut eas consequeretur, dum conaretur pro vi-
ribus viæ communi, ac tritæ verarum, ac solidarum
virtutum insistere.

§ IV.

*Partitio primæ Partis hujus Histo-
ria, in sex Libros.*

QUapropter contenta in hac Historia, quæ sunt
innumera, neque minus proficua, quam glorio-
sa, redigemus in sex libros. Primus liber cõ-

prehendet extraordinarias vias, quibus illam DEUS duxit, combinatas ex admirandis favoribus, horrendis cruciatibus, & eximiis virtutibus; quæ tria hujus vitæ Sanctitatem reddunt undequaque absolutam, ac per quam stabilem; secundum illud dictum Ecclesiasticis; *Funiculus triplex difficile rumpitur*; quia favores, ac dona, absq; crucibus, facile consuevit vincere superbia, præsumptio, & vana gloria, cruces autem, ac tormenta, sine gratiarum solatiis, nullo negotio præcipitant in impatientiam, tædium, & pusillanimitatem spiritus; & virtutes absque prædictarum duarum rerum mixtura nunquam sunt solidæ, nec robustæ, neque bene probatæ; ideoque facile illas superat pigritia, ac tepiditas cordis: quando verò omnia tria sunt coniuncta, cōstituunt Sanctitatem excellentem, & quasi inexpugnabilem. Atque hæc tria generatim erunt argumentum istius primi libri, qui exhibet specialium rerum fundamenta, quæ singillatim referuntur in sequētibus libris.

16. Secundus liber erit de admirandis revelationibus quas habuit de mysteriis nostræ Redemptionis, quæ fuerunt ipsi materia Orationis, & contemplationis tam ordinariæ, quàm extraordinariæ; nec non de magnis gratiis, quas in illis est consecuta. Specialitèr verò in eo agitur de mysteriis vitæ Christi Domini, de ejus Passione, Ascensione, & Adventu Sancti Spiritus, atque de institutione, & festo Sanctissimi Sacramenti; præterea de vita Beatissimæ Virginis, incipiendo ab ipsius nativitate; iis, quæ concernunt purissimam illius Conceptionem, ob singulares causas, dilatis ad finem libri quarti, ubi etiam agetur de ejus Assumptione.

17. Liber tertius est de admirabilioribus revelationibus ad mysteria Divinitatis, & Trinitatis Divinarum Personarum, & ad æternam Sanctorum felicitatē, quam ipsi DEUS dedit delibandam, conferendo illi
alias

alias insuper eximias gratias.

18. Liber quartus complectitur speciales revelationes, quas habuit de officiis, & excellentiis Angelorum Custodum, ac Sanctorum, qui illam frequenter invisebant, præsertim verò de prerogativis Beatissime Virginis sine macula conceptæ, & assumptæ; unàque res insigniores, quæ illi cum iis Sanctis evenerunt.

19. Quintus Liber erit de rebus memorabilibus, quibus juvat animas Purgatorii, & promovit salutem proximorum, cum illi DEUS manifestaret omnium miserias, & quæ ipsi essent agenda, dicenda, ac scribenda pro iis adiuvandis; ubi refertur doctrina, pro consequenda perfectione, quam à DEO didicit, & scribere jussa sunt ad profectum eorum, qui sunt addictiores, tractandis rebus spiritualibus.

20. Denique liber sextus erit de heroica ipsius perfectione, quæ enituit in modo, quo toleravit suos terribiles cruciatus, & exercuit omnis generis virtutes; atque de raris gratiis, quas illi DEUS præstitit, additis præclaris promissis, concernentibus ipsius obitum.

21. Hactenus in illo Prologo seu introductione, V.P. Ludovicus à Ponte, qui finem imponit primo Libro his verbis. Hic finem imponimus primo libro, qui est summa quædam trium rerum, quas complexa est via extraordinaria, qua illam duxit Dominus noster, contexta miris favoribus, & deliciis: terribilibus cruciatus, & tormentis, non sine illustribus Virtutibus; quas inter elucebat in illa profunda humilitas, & cognitio vilitatis suæ: obedientia exactissima ad nutus Dei, suorumque Angelorum, & Confessariorum: Zelus ardens salutis animarum; continua oratio, & tractatio cum Deo, cujus præsentiam numquam anima dimittebat: insignis patientia in suis necessitatibus, infirmitatibus, tormentis, & veluti martiriis, quæ de manu Dei, ope-
râ

râ Angelorum, Dæmonumque patiebatur: atque hæc, ultra graves sui afflictiones, rigidas verberationes, frequentias & cruenta cilicia, continuata jejunia, aliaque genera pænarum, quæ dum corporis vires utrumque sufficerent sponte suscipiebat, communicato consilio cum suis Confessariis, & exequiebatur quantum hi permittebant accomodantes se ejus ardori tam flagranti; tefi cum prudentia Christiana. Hæc omnia declarabunt, extollentque res ipsæ singula proximis libris persequendæ.

Haftenus V. Pater, qui cumulatissimè præstitit, id quod promisit, tandemque conclusit totum opus sequenti §, qui caput est vigesimum primum libri sexti.

§. V.

Quomodo ipsi DEUS communicaverit eximiam Spiritus mysticam, & experimentalem scientiam, præceperitque, ut conscriberet omnes suas experientias, in commodum proximorum, consignandas, & in ordinem redigendas à Confessario, quem habebat ex Societate JESV.

22. **E**Xtraordinariis gratiis, quas Deus suæ famulæ, per decursum longævæ ejus vitæ præstitit, & istud accenseamus, quod ipsi fuerit unâ cum illis communicata Scientia spiritualis, quam cõmunitè vocamus Theologiam Mysticam, & scientiam experimentalem, de qua loquens Divina Sapientia, ait quòd *ostenderit justo Jacob regnum DEI, Et dederit illi*

illi scientiam Sanctorum, quia ductu Divini luminis est ingressus ad percipienda arcana Regni Cœlorum, quæ nimirum sentiebat, & experiebatur in se ipso, quod est proprium Sanctorum.

23. In hoc mirè excellebat ista famula DEI, cui Divina Majestas sensim communicavit, quinque admirabiles experientias, quæ complectuntur universam scientiam Spiritus.

24. I. Quia in primis experta est, ac attigit omnia concernentia Infantiam, Passionem, & Mortem Salvatoris, ac reliqua ipsius Sacratissimæ Humanitatis Mytheria, quibus interfuit, ac si tunc denuò executioni mandarentur, ita ut sentiret in se dolores, ac tormenta Redemptoris, usque ad participata ejus vulnera pedum, manum, lateris, & capitis.

25. II. Hinc est progressa ulterius, ad cognoscendam, & experiendam immensitatem DEI Trini, ac unius, cum suis attributis, quæ beatos reddit Angelos; ac Sanctos; participando in se ipsa, ac degustando istam beatitudinem; videndo aliquid de eo, quod ipsi vident in suo DEO, pro sua capacitate, idque interdum claritate, quamvis momentanea, instar relucenscentis fulgoris, ut possimus dubitare, an non fuerit visio clara, qualem nonnulli per speciale Privilegium concedunt Sancto Paulo.

26. III. Tertiò experta est omnes modos familiaritatis, & communicationis inter DEUM, & animam, per alloquia, per inspirationes, per species, & visiones imaginarias, perque visiones intellectuales, per raptus, elevationes, & uniones, mille modis, jam in fundo sui cordis, jam in Cœlo Empyrio, jam commorando ibi, quasi stabiliter secundum Spiritum, jam idem percipiendo in suo cubiculo.

27. IV. Ad hæc accedit experientia dolorum, crucia-

cia-

ciarum, molestiarum, ac tormentorum internorum, & externorum, quæ est passa, partim ex Divina dispositione, partim propter persecutiones Dæmonum, DEO permittente; ita ut experiretur, dolores esse scalas ad gaudium; & Crucem esse viam pro adeunda cœlesti gloria.

28. V. Denique experta est, & probavit actus heroicos omnium virtutum, in quo consistit perfectio Evangelica, cum summa prudentia, circumspectione, cautela in viis extraordinariis, quibus ducebatur, ne deciperetur. Unde factum est, ut esset adeo plena hac Divina scientia, ut posset esse excellens illius magistra; & anima ipsius, ac modus vivendi, esset instar libri vivi; ubi infinita sapientia DEI descripsit, atque expressit omnia mysteria nostræ sanctæ fidei Catholicæ, admirabili artificio; adjunctis duobus raris privilegiis, quorum unum erat, quod etiam si revelationes interdum essent admodum copiosæ, ac diffusæ, & continerent multa, ac minutissimas circumstantias; tam fixè tamen illas imprimeret suæ memoriæ, ut illarum non oblivisceretur: Alterum autem quod illi Deus suggererit verba convenientia, quibus posset declarare, quod viderat, & fusè referre; etiam si aliquandò esset res tam sublimis, ut illi non suppetere verba, pro ea exprimenda. Et quia omnes istæ experientiæ, ac res, quæ illi accidebant, fiebant arcanè, & modo invisibili, manebantque in ipsius spiritu, quasi in libro clauso, & signato; Voluit Majestas Magni nostri DEI, ut iste liber aperiretur, omnesque prodirent in lucem præcipiendo illi frequentius (sicut fusè dictum est in Prologo istius Historiæ) ut conscriberet omnes gratias, quas illi præstiterat per decursum vitæ, eo quod eas ipsi non communicavisset pro illa sola, sed etiam in commodum multorum.

29. Hoc fuit primum, quod DEUS præcepit Venerabili Marinæ, & comprehendit generatim id, quod Divina Majestas extraordinariè in illa est operata; voluit tamen simul ut observarentur consuetæ leges Ecclesiæ; utque examen rerum publicandarum, & earumdem coordinatio, ac dispositio fieret, secundum iudicium, prudentiam, & scientiam Confessarii, Magistri, ac Directoris, quem habebat ex Societate: eò quod non omnia, quæ DEUS secretò suis servis revelat, velit publicari, imò non expediret quædam probare. Propterea cùm Germanus meus Frater Andreas de Ponte, ex Ordine Sancti Dominici conscripisset, eaquæ Venerabilis Marina ipsi dicebat, vel dictabat, ut illa mihi traderet, ut dictum est in Prologo; retinisset autem ipsorum apographa, mandavit DEUS, ut illa ab eo peteret, mihi que traderet, & ego ex ipsis demerem, quod iudicarem, non convenire, ut publicetur. Hactenus ibi V.P. Ludovicus à Ponte.

30. In libro autem 2. cap. 25. Agens Venerabilis Pater de luce infusa, quam habuit Ven. hæc Virgo ad penetrandum Mysterium Eucharistiæ; sic scribit.

31. Post Pentecostem celebrat Ecclesia Festum Sanctissimi Sacramenti, eò quod id non possit facere, feria quinta in cæna Domini. Utroque tempore habuit Venerabilis Marina insignes revelationes, ac visiones de hoc Mysterio, quas recensimus, incipiendo ab admirabilioribus, de modo, quo re ipsa, & verè Christus Dominus existit in Sacramento, quas mihi enarravit, deditque scriptas, dum docerem Theologiam anno 1595. in nostro Collegio Vallisoletano. Docebam autem tunc materiam de Eucharistia, atque hoc punctum de Transsubstantiatione. Referebat mihi id talibus verbis, & cordis affectibus, ut obstupescens, conferendo meas tenebras cum tanta luce, dicerem DEO:

F

Con-

Confiteor tibi Pater, Domine Cœli, & Terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & revelasti ea parvulis; ità Pater, quoniam sic placitum fuit ante te. Hactenus ibi V. Pater.

32. Ut autem constet, quanto cum fundamento existimaverit Venerabilis Ludovicus à Ponte, quod sicut DEUS in sua Ecclesia constituit Sanctum Franciscum ad paupertatis, & alios Sanctos ad aliarum virtutum præbendum exemplum; ità his periculosis temporibus proposuerit hanc Virginem, ut exemplar timoris caute, & circumspectionis, qua divine revelationes, & inusitata gratiæ sunt tutò suscipiendæ, transcribam. §. sequenti caput undecimum libri primi.

§. VI.

Denimio timore, quo perpetuò angebatur ne pateretur illusiones in suis extraordinariis viis; quamque sollicitè petierit à Deo illuminari; ac de admirandis rebus, quas ipsi Divina Majestas dixit, ut illam redderet securam.

33. **A**LIAM Crucem constantiorem, & gravio-
rem toleravit Venerabilis Marina totà vita, inter adeò insolitos favores, quæ fuit terribilis timor, ne in illis deciperetur à Diabolo, aut à sua imaginatione; Nève idcirco, aliquid faceret, quo suū DEUM offenderet; & quamvis Visitationes essent tam magnæ, & proficiuæ, abundantes tantis solatiis, hi tamé timores, qui illà invadebāt omnē istā attēperabāt

voluptatē; unde faciebat, quod poterat, ut illas evitaret; atq; interdum valdè lætebatur, quando ipsis carebat, adeo ut aliquando dixerit ad Deum: *Bonum meum, si aliqua Anima eò deveniret, ut diceret, se nolle acceptare istas tuas gratias extraordinarias, propter suos timores, quid faceres?* Divina Majestas illi respondit: *Ego nemini confero has gratias contra ipsius voluntatem; quia licet vos velim mihi esse subiectos, nolo tamen vos cogere.* Hoc responso habito, veluti convicta, filuit. Inde fiebat ut, cum inciperent extraordinariæ visitationes, vel indicium aliquod illarum, aut signum notaret, subito confugeret ad DEUM; adeò ut oculis fidei illum intueretur præsentem, in omni loco, iteraretq; preces, & obtestationes, postulando ab illo lumen ipsius cœlestis, ad cognoscendas ejusdem veritates, & ne ulla in re deciperetur. Quia vero hoc Deo placebat, ipseque illi inspirabat, nec Divina Majestas, nec Sancti, neque Angeli, qui veniebant ad illam invisendam, propterea offendebantur, nec abibant; imò illam expectabant, ut perageret suam solitam orationem, cui minimum quadrantem horæ solebat impendere, vel semihoram, atque aliquando unam, & duas horas; id quod ipsamet declaravit loquendo de se in tertia persona gravissimis his verbis: *Quando anima illustrata Divino, & vero lumine, sentit præsentiam sui Cœlestis sponsi, ac Domini, qui illi significat, quod illam velit visitare, & consolari extraordinariè, patefaciendo ipsi aliqua sua Divina Mysteria, vel secreta, timet, ac tremit, & verecundatur prostrata in conspectu sui Magni DEI, quem omnibus suis viribus amat, & cui summè desiderat placere, & à quo humiliter, atque magno ardore spiritus, quem illi Dominus communicat, petit, ut ipsam edoceat de suis veritatibus; detque illi suum Divinum lumen; quando ita anima complectitur summum Bonum, & cum illo quasi lu-*

Etatur, usque dum obtineat hanc benedictionem (quam divina Majestas, nunquam negat ei, qui illam humiliter postulat) invenit se quasi victam à Domino, qui ipsam suaviter inclinatur ad acceptandam gratiam, & visitationem, quam illi vult exhibere; & postquam istam gratiam suscepit, relinquit illam ditatam Divinis donis, quæ nequeunt explicari, & adferunt ingentem pacem, ac solatium; ut propterea absque omni dubio credat, suum Deum, ac Dominum esse illius Operis Authorem.

34. Hoc scripsit Venerabilis Marina, quando jam erat provectæ ætatis, & ego mirabar, dum mihi narraret illam luctam, quæ certabat cum suo DEO, ut sibi impertiretur lumen, prò cognoscendis ipsius veritatibus; quia id faciebat accumulando tot preces, ac tot motiva, & rationes allegando, ad eum modum, quo illas allegat Ecclesia in Litaniis Sanctorum, ut aliquando erubuerit, reprehenderitque se ipsam, dicendo ad Deum, quod sibi videretur id exigere, quasi debitum ex justitia. Divina autem Majestas illam est solata, dicendo ipsi. *Est verum, quod titulo justitiæ hoc à me petas: cum enim ego promiserim me concessurum, quod à me peteretur, mansi quasi obligatus ad dandum, quod à me postulatur.* Implevit quoad hoc Divina Majestas istud promissum, tam integrè, ut multis annis, quibus ego illi fui à Confessionibus, & cum ipsa egi, semper adverterim, quod illam præservaverit ab illusionibus. Hic timor partim fundabatur in ipsius natura, quæ erat miculofissima, ut dictum est; partim sine dubio fuit speciale donum DEI, sicut ipse Dominus illi dixit, quodam die hoc modo; *Esto certa, quod nulli Creaturæ ex omnibus, quas duxi per vias extraordinarias, dederim majus donum timoris, quàm tibi: Causas verò cur illud ipsi dederit, declaravit rationibus, quas illi dicebat, ut*

il-

illam redderet securam, quod non sit illusa, neque unquam esset illudenda.

35. *Quadam vice, ait ipsa, dixi ad Dominum: Bonum meum, & Domine mi, quales sunt hi timores, qui me affligunt, mihiq; tremorem incutiunt? Quid me vis facere, ut tibi placeam, ac satisfaciam? Respondit Dominus: Nihil refert, quod habeas istos timores, quia per illos te reddo securiorem sicut es; & propterea non omitis facere, ac dicere, quod volo. Dic mihi si viveres absque istis timoribus in hoc Mundo, & sine ista cruce, quid tibi deesset? & quid scires pati? Cumque me aliquando multum angerent, dixi Divinae Majestati: DEUS mi, & Domine mi, quomodo me relinquis in manibus meorum Inimicorum? & respondit mihi quam amantissime? Quid dicis Anima? Ego te centè non relinquo, nisi in brachiis Crucis, cui ego affixi mea brachia; significans mihi, istos timores, esse crucem, cui me ipse affixisset. Magno me affecerunt solatio hæc verba Domini; dixi tamen illi statim. DEUS mi, & Domine mi, optimè fit, quod dixisti, ideo sis benedictus. Dic mihi nihilominus Domine: nonne est melius, ut anima perveniat ad pacem, quæ reperitur in te, ac tantam tranquillitatem, ut ipsam nihil amplius audeat infestare, nec illius passiones, nec natura, neque Diabolus; utque non amplius pugnet, ac tu solus cor possideas: nonne hoc esset melius, mi DEUS? Respondit Dominus: Adverte: quando ego ex mea bonitate, & ob alias justas causas, exhibeo eum favorem, & gratiam animæ, quæ illam meretur, ut ipsi dem istam pacem: ac tranquillitatem; de qua tu loqueris, esto bonum, ac donum, & munus meum sit tamen, quæ non est assecuta hæc specialia dona, si pro illis obtinendis impendit laborem manuum suarum, adjuvante ipsam mea gratia, ac decertat, & patitur, multò se excellentiùs gerit; quia ista laborat pro consequendo thesauro, illi verò alteri confertur ex gratia; adverte præterea in tali statu animæ, qua-*
lis

lis est tuus, id, quod vocas passiones, ac defectus, esse opus meorum incomprehensibilem iudiciorum; ut humilietur anima, & conservetur in subiectione, sitque dedita mortificationi; tum ut magis augeatur ipsius premium, & mea gloria, tum etiam ut praebeat exemplum utile meis fidelibus Amicis: hoc est, quod agitur in tua Anima: Quid te vexas & affligis? Esto bono animo, & quiesce in me.

36. Dum aliàs agerem cum Domino aliquantum confusa meis timoribus dixi illi, ea, quae divina ipsius Majestas mihi dicebat, & mysteria, quae mihi revelabat, esse ejusmodi; ut, licet credam absque omni dubio, quidquid mihi dicebatur, & videbã, tamẽ quodammodò timeã, & metuã quod mihi Divina Majestas conferat tantas gratias, cum ego sim, quae sum. Respondit mihi Dominus: Anima si credis meis verbis, & veneraris mea Mysteria, ita sicut dicis, ac facis quod ipsum ego volo, utcumque timeas, ac metuas; quare vis tibi à me auferri turrim, & murum fortem, sancti timoris mei, ac circumspeditionis, quae custodit, ac defendit animam ab omnibus telis, ac fraudibus Diaboli, & representationibus phantasiae, aliisque hujusmodi rebus; quae tela Diaboli, dum illa vult jacere, ut animam decipiat per illusionem, resiliunt, & revertuntur ad illum cū ingenti confusione, rubore, ac damno ipsius; & similiter, quare vis tibi à me auferri coronam Crucis, quam pateris; vivendo cum timore, & tremore, ac sancta circumspeditione quandoquidem etiam vivas, certam habens, & securam in me spem: noveris praeterea, animam, quae id non haberet in specialibus viis, & extraordinariis exercitiis, victuram in magno periculo, ne deciperetur à Demone, & à sua propria imaginatione.

37. Alia vice, cum mihi Dominus aliquid dixisset, angebar meis timoribus, considerans, esset ne DEUS, qui mihi loquebatur, & dixit mihi Divina Majestas. Quid habes: Anima? Quid scitis? Ego sum tuus Deus; ego sum, qui lo-
quor

quor, quid times? Respōdi illi: DEUS mi, & Domine mi, vi-
 vo cū timore, ac tremore, quia denique sum in eo statu ut de-
 cipiār, & non intelligā, atque cognoscā te; id quod ego, prop-
 ter nullam rem creatam, nec propter Cælum, neque propter
 Terram vellem contingere, ut te, vel in minima re offen-
 derem. Hac est, Domine, mea anxietas, & mea cura, in
 qua vivo, sicut scis: Respondit Dominus, modo quodam
 sublimissimo, suavissimo, & efficacissimo: Anima: non
 decipietur, qui non voluerit decipi, & ambulaverit in ve-
 ritate coram me: quod cum ita sit, non habes, cur timeas;
 Hoc Dominus taliter dixit, ut mihi mirabiliter satisfecerit
 quoad justam veritatem; atque sic fui animata.

38. Dum aliàs magno affectu agerem cum Do-
 mino; dixi illi: DEUS mi, & Domine mi, unum
 S., & clavum pone in meo corde; quia desidero tota esse
 serva, & ancilla Domini. Divina Majestas mihi respon-
 dit amabilissimè, & blandissimè: Anima jam pridem, hoc
 feci, & tota es mea. Tum ego respondi. Quomodò ergo, mi
 Domine, sum tam mala, & miserabilis, ac tam parùm
 profeci in omnibus pertinentibus ad tuum servitium? Do-
 minus autem mihi respondit valdè affabilitè; ne ideò so-
 licita sis, Anima mea; quia verè tibi dico, quod te habeam
 scriptam in libro vite; quodque per mea auxilia, & substi-
 dia proficias ex favoribus, & gratiis, quas tibi præsto.
 Respondi denuò Domino: ac dixi: Deus mi! cum ita sit, quo-
 modo vivo cum tantis timoribus, ne tibi displiceam, teque
 offendam? Et sum adeo meticulosa propter vias tam extra-
 ordinarias, per quas me ducis, ut vivam afflicta, ac an-
 xia? sed Dominus mihi respondit: Bene sic fit: nonnè ta-
 men inter istos timores, in quibus vivis, has veritates
 agnoscis? Iste tuus timor est filialis, qui etiam in Cælo ha-
 betur, quia timor Domini manebit in æternum. Ego opti-
 mè scio condire, quæ in speciem sunt contraria, quamvis
 non sint; & conjugere istum Sanctum timorem, quem habes,
 cum

sum veritate, quã tibi manifestavi; quod tibi satis constat. Hoc me magno solatio affecit, & confortavit in Domino.

Alia vice agendo cum Deo, conquerens de me ipsa, dixi illi cum magno pudore: Domine mi, & Deus mi; jam tot annis sum prædita usu rationis, & toto hoc tempore, cum tu mihi contuleris tot, ac tanta beneficia, tam ordinaria, quàm extraordinaria, dederisque tot ac tanta auxilia, pro meo profectu, debuisset meritò anima mea plurimum profecisse, ac esse libera à passionibus, & excessibus nature, atque à tot peccatis, quibus sum obnoxia. Divina mihi Majestas benignè respondit, ac amanter: Quid facis peccatrix? quæ causa est tuarum querelarum, ac tui doloris? quia in bona, & veraci voluntate, atq; sano creature corde, non possunt habere locum talia mala, de quibus te, tanto cum dolore accusas: si quidem sicut non est signum, radicem arboris, vel vitis esse malam, vel putridam, propterea quod progerminet ramos, vel stalones supervacaneos, & superfluos, procedentes ex aliis causis, quos suo tempore veniens putator diligenter recidet, ut fructus arboris sit uberior, & utilior: ita ex sano corde, & bona voluntate creature erga suum DEUM, qui est fundamentum, & radix arboris vel vitis proferentis veras virtutes, & bonum spiritum, atque perfectum amorem sui DEI, non potest provenire quidquam mali, aut noxii, Quod si hæc arbor germinet ramos supervacaneos, & superfluos in speciem, illi oriuntur ex aliis causis; putator autem cultro mortificationis resecat sollicitè istos ramos, & illos destruit, atque comburit, si opus sit, mortificando has superfluitates, quæ sunt passiones inordinatæ, & affectus naturales, in eoque multum laborat, ut ita fructus sit major, utilior, & uberior.

39. In duplici occasione, vehementer augebantur istæ anxietates, ac timores. Una fuit, quando ipsius Cōfessarius illam reprehendebat propterea, quod esset in iis nimia, permittendo se ductui naturæ; cum enim ipsi plu-

plurimum crederet, imaginabatur sibi, se ideò multos
ea in re commisisse defectus, displicentes DEO, cui sic
aliquandò locuta est

40. Deus mi, & Domine; mihi, & Confessario meo vi-
detur pessima esse mea natura, qualis ergo videtur esse ti-
bi: nonne abominabilis? Respondit Dominus: Non videtur
mihi, neque videri potest malum, quod ego facio; neque na-
tura, quam ego do meis creaturis, quæ est accommodatiss-
sima, ad illarum bonum, & commodum, atque ad id, quod
ego ab ipsis volo: sed nec ea, quæ ego ipse denuò, & sine
culpa naturæ ipsarum iis offero, ac permitto illis evenire,
prò earum exercitio, & profectu, aliisque bonis, quæ inde
eliciuntur. Hoc quidem, aiebam tum ego, bene credo, mi
Domine, non posse videri malum; sed bene etiam mihi per-
suadeo, peccata, ac defectus, quos in his occasionibus com-
mitto, non nisi summè tibi displicere: Bono esto animo, dixit
Dominus, quia si in occasionibus; de quibus loqueris, com-
mittis aliquos defectus, ego ex illis multum pro te elicio
utilitatis, propter tuam bonam dispositionem, & ideò illos
permitto; atq; sicut exigua palea in presentia infiniti ignis;
ita illi coram mea bonitate pereunt, ac disparent; & tua
naturalis inclinatio summè mihi placet, estque aptissima, ad
id, quod à te volo: sicut aliàs tibi dixi, pro tuo solatio, &
propter tuam necessitatem, in qua eras constituta; ideòque
non est, cur turberis, vel affligaris, quod exercearis, & re-
prehendaris à tuo Confessario: permitte illum exequi suum
munus, habet enim bonam intentionem; ac adverte, ne con-
cidas animo, quia tui defectus; si eos habueris, non possunt
esse majores, neque minores, propterea, quod illos repre-
hendat Confessarius, vel omittat reprehendere: quales sunt
coram me, tales erunt. Cum tamen hæc omnia, propter oc-
cultà iudicia DEI, qui id permittebat, non sufficerent ad
auferendam mihi crucem internam, & afflictiones, quas

G

pa-

patiebar, dixit mihi Dominus, modo quodam Divino, & amabili. Anima mea, quid tibi est? quæ est causa tuæ afflictionis? Amo enim te, neque me offendisti; veni mecum, & quiesces modicum, docebo te, quoddam secretum mei cordis, ob quod in me recreaberis: atque dum hoc diceret, univit me secum, invenique me in Pectore Patris æterni, ubi mihi ostensum fuit, clarissimè, & manifestissimè, prò meo captu, mysterium Beatissimæ Trinitatis, ac æterna Processio Verbi Divini, qua procedit à patre, & quomodò ab istis duabus Personis Patre, & Filio per amorem quemdam æternum, ac infinitum quo se amant, procedat Divina Persona Spiritus Sancti. Mansi satis diù in ista cognitione, cum extraordinaria admiratione: magis tamen stupebam, quomodo Pater, intelligendo, & comprehendendo se ipsum, produceret Verbum Divinum; & aliquanto post per quemdam raptum fui unita DEO; undè factum est, ut magna ex parte conquiesceret illa turbatio, non tamen integrè permittente id Divina Majestate, prò meo majore exercitio; itaut mihi non prodesset, quidquid ageret meus Cōfessarius, volens mihi satisfacere, ut me redderet quietam. Tunc mihi dixit Dominus: ne te affligas, Anima, sed tolera istam Crucem cum reliquis, quas tibi ex amore offero, quamvis hanc, quæ tibi denuò præbetur, non merearis: offer illam mihi, & ama in me, ac reverere tuum Confessarium, & Patrem spiritualem, sicut facis; quia mihi in hoc places, & placebis.

41. Ex ista revelatione, est advertere quomodò DEUS fuerit solitus permittere istas Cruces, & afflictiones, ut ex illis lumeret occasionem, præstandi suæ famulæ magnas gratias, nobisque preclaras daret instructiones, ne erraremus.

42. Altera occasio in qua augebantur afflictiones, ac timores, erat, quando ipsius Confessarius dubitabat

bat de quibusdam rebus, quas illi recensebat; quia hoc illi sufficiebat, ut sibi imaginaretur se esse illusam, ideòque cum his dubiis, recurrebat ad DEUM, qui prò infinita sua sapientia ad ea respondebat, afferendo illi motiva, ad eam placandam; & quia ipsa vehementer sollicitabatur, ut illorum recordaretur, eo fine, ut eadem referret suo Confessario, ipsique satisfaceret, dixit illi Dominus quòdam vice. *Ne te superfluè fatiges, ut velis omnia Confessario narrare, quæ tibi dico, reddendo illi rationem eorum, quæ tibi contingunt; quia noveris, quod quantuncumque illi dicas, denique, tanquàm homo, nequeat penetrare omnes veritates abditorum secretorum anima, atque ità non possit, in aliqua re non hæsitare: tu tolera istam Crucem, amore mei; quia, & aliæ anima illam toleraverunt: quin imò te moneo, ne nimium solliceris, ut velis tuo Confessario satisfacere in his rebus, putesque, quod nisi ipse satisfiat, non possit mihi satisfieri: si quidem, ut tibi dixi, cum sit homo, non potest assequi semper veritatem harum rerum internarum, sicut ego illam scio, qui sum DEUS; potestque sæpè dubitare, ubi non est dubitandum; ac proindè, quin illi satisfiat, potest mihi satisfieri.*

43. Hoc ipsi dixit Divina Majestas, ut reprimeret supervacaneam afflictionem, non verò congruam sollicitudinem de reddenda conscientia ratione Patri Spirituali. Postremò postquàm illi DEUS dixisset quidpià, ita illam reddendo internè certam, ut ei non potuerit remanere dubium, esse DEUM, qui illud dicebat, ad eum modum, quo dicit Sanctus Thomas, redditos fuisse ab ipso certos Prophetas, se esse eum, qui illis loquebatur, & talia revelabat, addidit: *Ista tibi modò dico, cum tanta certitudine, ut sic tibi auferatur aliquid de nimio timore, quo subindè angeris, an ego sim, qui ordinariè tibi loquor; utque intelligas, quod qui tibi ista dicit, di-*

cat etiam cetera, quamvis tibi non videaris habere tantā certitudinem. Multa alia illi acciderunt, non solum cum Christo Domino, sed etiam cum ipsius Angelis, & Sanctis, quoad hoc ipsum, quæ suis locis afferentur. Hucusque ibi V. Pater; qui libro 6. cap. 15. §. 4. describit colloquium, quod Venerabilis hæc Virgo habuit cum Deo, ex quo efficaciter probatur, non permissurum fuisse Deum, ut anima tum ardēter ipsum amans, & tam continuè ab ipso postulans liberari ab illusionibus; nihilominus illusa, & decepta permaneret tota vitā. Sic enim ipsa loquitur;

44. *Quadam die mihi cum communicatura essem, nec bene valerem, Angelus quidam, & ipse Deus dixit. Jam Dominus ad te veniet, ut eam conferat sanitatem, quam tibi creaturæ suæ novit utiliozem. Respondi; non aliam à Deo sanitatem peto, quam animæ meæ. Recepto Sacramento, statim Dei hominis JESU Christi præsentiam modo quodam Spirituali, & mysterii pleno sensu in me ipsa, imò vidi. Loquebatur mihi Dominus, dicens. Per totam vitam tuam optasti placere mihi, & res mihi gratas facere, & semper à me hanc gratiam favoremque petivisti: Dic igitur, quæ tibi est timendi, & dubitandi ratio? Quis Pater filio particulam panis petenti porriget lapidem? Quæ mater obliviscetur filii, quem utero gessit? Quin imò, & si foret aliquis tam crudelis Pater, & Mater adeò immemor, numquam in me talia cadent. De hoc certissima esto. Cum ita se Dominus communicaret animæ meæ, vidi per superna spatia quasi ambulantem Spiritum Sanctum; specie Maximæ Majestatis. Erat quasi Aquila perspicax, & divina: ac etiamsi anima mea ipsam speciem cognosceret, vix tamen illam videbat. Multi Angeli, divino Spiritui committatum præstabant, & obsequium. Venit hic tandem*
ad

ad auditū animæ meæ, & in recessu ejus interiore pauca mihi, sed valdè divina, & interna verba dixit: contigit hoc ter, & singulis vicibus non nihil à me abscedebat. Iste affatus erat tam Spiritualis, & arcanus, ut vix eum anima mea perceperit. Post hæc statim videbatur applicatus pectori meo nummus ex auro defæcatisimo. Quæ mysteria cum admirarer, ad Dominum qui intra me erat, conversa, quid hoc est inquam Domine Deus meus, quid hoc mysterii fuit, quod vix percepi? Respondit Dominus: *in hoc tuo corde ipsam te, ò anima intùere, ibi invenies, & videbis mysterium, quod quæris.* Conversâ quò Dominus dixerat, animâ meâ, vidi in corde meo sigillum ipsius Dei, in quo figurata erat Sanctissima Trinitas: sed speciatim in eo cognoscebatur Persona Spiritus Sancti. Tunc mihi Dominus dixit. *Deus omnipotens, ò anima, & divinus Spiritus isto mysterioso affatu, quem vidisti, & non intellexisti, magnam tibi fecit misericordiam; nam cordi tuo manu sua præpotenti opposuit, clavem, & seram, & impressit suum sigillum, ut nullus illuc ad illusionem ingredi queat, & ipse solus sit cordis animeque tuæ Dominus.* *Ista sunt quæ, vidisti, mysteria; & ecce, inquiebat Dominus, opto, & jubeo, ut quæcumque tibi ostendam mysteria, quascumque res dicam, credas firmitè, à me proficisci, & de nulla re quam videris, vel audieris dubites, nisi fit directè contra meam legem, Fidem, Sacram Scripturam, & doctrinam Sanctorum.* Et ita in his loquebatur Dominus secundum regulas communes, & ordinarias, confirmans animam meam in veritatibus ei dictis, & exhibitis misericordiis, docensque quomodo vellet, ut in iis me haberem.

45. Sufficiant jam, quæ hætenus scripta sunt de sanctitate, & Sapientia Mirabili Venerabilis Patris Ludovici de Ponte, deque testimonio, quo vitam, &

re-

revelationes Venerabilis Virginis Marinæ, ad plenam earum fidem, apud viros doctrina, & spiritu præditos, ipse V. P. roboravit; siquidem ea, satis erunt, ad meum institutum stabiliendum, & confirmandum, in dissertatione Apologetica, quam pro credibilitate ipsarum revelationum scribere necessarium existimavi, & immediatè subjungo.



DIS-


55

DISSERTATIO APOLOGETICA

In Vitam, & Revelationes

VENERABILIS VIRGINIS

MARINÆ DE ESCOBAR:

I.  Ostquàm ea, quæ ad hanc disserta-
tionem præmittere tâquam necessa-
ria duximus, sunt relata, tempus est,
ut jam, clausula hac, licèt longa ad
nostrum institutum utilissima Paren-
thesi, ad eam transitum faciamus.

§. I.

*An in novo Testamento dentur aliquæ fide
digne revelationes Divinæ extrâ Sa-
cram Scripturam.*

2. **S**I in veteri Testamento inter signa credibilita-
tis non postremum fuit donum Prophetiæ, &
divinarum revelationum; quantò magis de-
bet in novo Testamento signum hoc veræ Fidei emi-
nere: prout reliqua omnia signa credibilitatis eminēt;
adeò, ut uni Decadi Martyrum antiqui Testamenti,
respondeant milliones Martyrum in novo Testamento,
unusque Sanctus *Christianus* plura miracula intra uni-
cam diem fecerit, quàm in tota veteri lege reperian-
tur. Jam ergo, quemadmodum non defecerunt ho-
mines spiritu prophetico, ac dono revelationum præ-
diti, quamdiù lex vetus duravit; ita multo minus de-
bent

bent deficere in lege Gratiae usque ad diem extremū . Bene Theophilus Raynaudus in Heterocl. spirit. sect. 2. p. 5. num. 26. dubium, inquit, esse non potest, quin sint in omni etate, ac saeculo revelationes in Ecclesia DEI . Alioqui, ut sapienter admonuit Gerso tract. de discretionem revelationum, revocari possent in dubium revelationes antiquae, quae aequè paterent calumniis, ac illae, quae posterioribus temporibus, & iis ipsis, in quibus vivimus, accidere compariuntur . Ac proinde Gerso, ingenia quaedam libera, quae ad nomen revelationis, subito altè tollunt cachinnos, valde insectatur in praedicto opusculo, sub initium. Nec iis parcat sub finem, qui ex eo quod unum aliquem delusum in revelationibus audierint, diffundunt ejus deceptionem ad omnes revelationibus donatos . Et verò nonnè vel obiter rem inspicienti statim apparet, debere etiam in hoc apparere excessum Gratiae praè veteri Testamento ut plurimi non minus frequenter ac familiariter DEO colloquantur, quàm collocutus sit Moyses, aut ullus Prophetarum veterum ?

3. Neque tamen libris Canonicis Sacrae Scripturae sunt inferendae omnes particulares revelationes ; nam & in veteri lege dubium non est, multò plura fuisse Sanctis revelata, quàm in Sacram Scripturam fuerint inserta ; cum etiam nominentur aliquot utriusque sexus Prophetae, ex quorum Prophetiis, nec litera in sacris paginis legitur . Sic quoque in primitiva statim Ecclesia habemus ex actis Apostolorum, fuisse Prophetas, ac Prophetissas, quorum revelationes non sunt annotatae ; Et verò quis credat DEUM nulli Sanctorum locutum, nisi qui in Sacra Scriptura referuntur ? Imò potius cuius facile occurret, nullum futurum fuisse finem augendi libros Canonicos, si omne Verbum DEI, cuiuscumque revelatum, eis fuisset adiiciendum .

4. Sed

4. Sed tamen dicet adhuc aliquis: cur ergo Ecclesia saltē non determinat, quānam certae, vel incertae sint fidei? Planē ac si quærent: cur Ecclesia non determinet semper, quisnam verus sit Martyr, dū quispiam videtur pro virtute occidi? quodnam semper sit verum miraculum? quibus Doctorum libris sit, quibus non sit acquiescendum? nempe copia eam obruit; Itā profusa est erga eam Sponsi ejus Christi Domini liberalitas. Qui enim sufficiat his omnibus, tantā quātā opus est, diligentia examinandis? Unius Sancti canonizatio, quot annorum studia fatigat? Ad unius libri suspecti condignam trutinam Concilia congregantur: Quid ergo si singulas in novo testamento, tam copiosas revelationes simili studio excutere vellet? sufficit ergo quemadmodum in aliis libris præstantissimis, quod viri in Theologia tam mystica, quā speculativa, & morali præclare versati, nihil in eis inveniunt dissonū, & discrepans ab eis, quæ Ecclesia tanto adhibito apparatu vera esse pronuntiavit, utpotē ad quæ tanquam ad Lydium lapidem, reliqua, quæ subindē nova emergunt, sunt examinanda: prout factum est cū multis lucubrationibus in Tomos SS. Patrum insertis, quibus tamen alia ab Ecclesiæ calculo auctoritas non accessit.

5. Quanquam etiam revelationes hujusmodi aliquas sumpsit sibi Ecclesia, quandoque solemniter examinandas, ac approbandas, prout contigit revelationibus S. Brigittæ Viduæ à Conciliis Constantiensi, & Basiliensi, nec non ab Urbano VI. Bonifacio IX. & Martino V. Romanis Pontificibus collaudatis, & commendatis, id quod videre quisque potest in ipso vestibulo harum revelationum, ubi hæ approbationes, unā cum magnorum aliorum virorum doctorum elogiis solent apponi.

H

6.Nec

6. Nec majori opus erat approbatione ad eum, quem Divina Majestas in eis spectat finem: nempe ut nobis auxilio essent ad salutem æternam; prout ad eandem nobis inserviunt scripta, ac dicta à SS. PP. Sapientiæ, ac sanctitatis plenissima: ut & variæ historiæ fide planè dignæ, etsi non tantâ, quanta libri Regum, aut acta Apostolorum. Planè enim inepti esset hominis, nihil penitus, præsertim si rarum, & admirabile appareat, velle prò vero agnoscere, nisi necessitas Divinæ Fidei ei imponatur. Ridemus, sic delirantes Hæreticos, qui dum per nimiam cautelam, nihil quod Sacram Scripturâ non contineatur, volunt recipere; ipsammet Sacram Scripturam sibi eripiunt: imò sic, nec sciunt, se ritè baptizari; cum nullibi in Sacra Scriptura exstet, hanc, quæ eis superfunditur, esse veram aquam, &c.

7. Quanta autem etiam apud quosdam Catholicos sit hoc in genere morositas, patet; quia nec approbatio Ecclesiæ eis sufficit, si quidem & revelationes S. Brigittæ aliqui nauseant: id quod etiam provenire potest ab aspera indole, aut prava consuetudine, vel denique etiam ex pœna DEI, cujus justo judicio nō datur eis gratia, ut tantos thesauros possint, ac sciāt in occasiones cœlestium meritorum adhibere: planè prout videmus fieri cum Indulgentiis quas quidem aliquas in Ecclesia dari non dubitant, sed in particulari de singulis Indulgentiis sunt, qui dubitent: nunc quidem: an Pontifex causam sufficientem habuerit? nunc, an sufficiant opera præscripta? nunc, alia, & alia examinando, semperque certitudinem majorem requiringdo, donec vita elabatur, & ipsi nullius Indulgentiæ fiant compotes.

8. Longè aliter ipsimet Summi Pontifices: apud quos quanta fuerit auctoritas revelationum SS. Brigittæ,

tæ,

ra, & Catharina Senensis, etiam num in carne viventium, patebit legere volenti Historiam Ecclesiasticam, ubi inveniet, earum præcipuè intuitu Sedem Apostolicam Avenione Romam rediisse. Inveniet etiam inter reliquas rationes, quibus Urbanus Romæ residens, verus fuisse Pontifex, adversarius verò ejus Clemens, Schismaticus, probatur, adferri à maximis viris eam, quòd S. Catharina Senensis ità constanter asseruisset.

§. II.

Quenam sint in Ecclesia illæ Revelationes; & an inter has etiam recensendæ, quæ continentur in mirabilis Vita Venerabili Virginis Marine de Escobar.

9. **E**T si revelationes à DEO privatim hominibus Sanctis in novo Testamento factæ, sint innumerabiles, cum pauculi sint ex celebrioribus Sanctis, quibus non legatur Divina Majestas fuisse locuta: quædam tamen sunt prolixius annotatæ, quin & in speciales libros redactæ: de quibus ut generatim feratur judicium, eæ solæ videntur admittendæ, quæ à doctissimis, sapientissimisque simul ac sanctissimis viris diu probatæ, multum excusæ, demum plurimum collaudatæ; ab Episcopis permissæ, ab Ascetis admissæ, ab Ecclesia DEI, non reprobatæ sunt.

10. Antiquissimus ejusmodi libellus est in Bibliotheca SS. Patrum, cui titulus, *Hortus Pastorum*, continens revelationes factas cuidam Sancto Viro nomine Hermeti, cujus libelli tanta olim fuit in Ecclesia æstimatio, ut ejus auctoritate ad tempus Paschati celebrando statuendum uteretur. Exstat & libellus reve-

atlonum cujusdam Fratris Raimundi, itemq; B. Amē-
 dei, aliorumque virorum; ad quos reduci possunt etiā
 Epistolæ S. Francisci de Paula. Sed longè celebriores,
 quia ad sanctitatem, & tenerrimam ergo DEUM pie-
 tatem inflammandam longè opportuniore sunt, reve-
 lationes Sanctarum Mulierum, quas inter auctoritate
 eminent, grande volumen S. Brigittæ. Has videntur
 proxime sequi Dialogi cum DEO Sanctæ Catharinæ
 Senensis. Celeberrimæ præterea, atque à Ludovico
 Blofio, Ioanne Lanspergio, aliisque Sanctis æquè, ac
 eruditissimis Viris laudatissimæ sunt revelationes Bea-
 tarum Gertrudis, atque Mechtildis, quas etiam Pater
 Ludovicus de Ponte, unà cum prædictis, ac cum reve-
 lationibus S. Theresiæ, tanquam primarias, & notissi-
 mas, ac indubitatas, in sua introductione commemo-
 rat. His accedant revelationes, & Epistolæ S. Hilde-
 gardis, itèmq; revelationes S. Elifaberh. Præterea
 vita B. Angelæ de Fulginio Viduæ, & vita S. Magda-
 lenę de Pazzis; itemque vita S. Franciscæ Romanæ,
 Viduæ, nec non B. Mariæ Cegniacensis itidem Viduæ;
 ac vitæ Sanctarum Virginum Ludgardis, & Liduvinae.

11. Post has omnes voluit Divina Majestas sponsæ
 suæ Ecclesiæ veluti pro novo cimelio in ornatum mit-
 tere, & has de quibus agimus admirabiles revelatio-
 nes Venerabilis Virginis Marinæ de Escobar, idque
 ob eas, quas Pater Ludovicus de Ponte in sua superius
 posita introductione refert, rationes; quæ etsi nōdum ab
 Ecclesia eā certitudinē, quā S. Brigittæ, aut S. Catharinę
 Senensis, vel S. Theresiæ acceperint; ob quasdam ta-
 men circumstantias peculiare, majorem etiam præ
 multis aliis merentur fidem.

12. Et in primis ob peculiarem Divinæ providen-
 tiæ dispositionem, quod tales, ac tantos huic suæ fa-
 mi-

mi-

mulæ dederit spiritus Directores ac revelationum ha-
 rum examinatores, ac conscriptores, idque ex duobus
 doctrinæ laude in Ecclesia præcipuis Religiosis ordini-
 bus, nempe Prædicatorum, & Societatis Jesu, ex qua
 post alios quatuor pios, & graves viros fuit quintus
 ejus Confessarius P. Petrus de Leon., vir doctissimus,
 & piissimus; qui non contentus omnem adhibere dili-
 gentiam in revelationibus, quæ tunc huic Venerabili
 Virgini accidebant, excutiendis; insuper consulebat
 alios Patres in Domo Professorum Societatis JESU,
 Vallisoleti, eisque ad plures dies trutinanda dabat,
 quæ jussu ejus ipsamet Venerabilis Virgo conscripse-
 rat: qui demum, sua, & omnium consensu, omnia secu-
 ra, & verè Divina esse agnovit. Huic successit incom-
 parabilis ille vir à Sanctitate, & doctrinæ Asceticæ ex-
 cellentia Orbi notus P. Ludovicus de Ponte, Theolo-
 giæ Doctor, ejusdemque per aliquot annos professor,
 ac deindè supremus Vallisoleti studiorum Præses: qui
 ob suos libros tenerrimâ pietate simul, ac exquisitâ
 Theologiæ Mysticæ cognitione plenos, sæculi sui Ber-
 nardus à viris præclaris appellatur. Hic ergò vir à Spi-
 ritu Sancto tam illustratus, totos 30. annos Venerabi-
 bili huic Virgini à Confessionibus, toto eo tempore in
 examen eorum, quæ divinitus tunc cum illa fiebant,
 intentus, non solum ea tanquam verissima, & nulli il-
 lusioni, aut fraudi permixta agnovit, nec solum ea ma-
 gno labore conscripsit, ac digessit, verum etiam præci-
 puam partem futuræ suæ in Cœ. is gloriæ ob hunc librū
 speravit, adeò ut cum divinitus horam mortis suæ præ-
 scivisset, perrexit usque ad pauculas ante mortem
 horas, nempe ad ipsum quodammodo lethalem ago-
 nem, ac ultimarum virium defectum, hæc ipsa Vene-
 rabilis Virginis Marinæ, tunc adhuc viventis, gesta, ac
 nar-

narrata ordinare, & annotare; quasi nullam aliam putaret se posse pro felici morte obeunda præparationē DEO acceptiorem adhibere. Et verò, quàm vir ille fuerit sibi ipsi de sufficienti quoad hæc dignoscenda peritia conscius, patet ex admirabili illo casu, quem ipsemet refert in vita Ven. Virginis Marinæ fol. 1. c. 19. S. 2. Quod cum existente Aulâ Regis Hispaniarum Vallisoletî, fuissent Venerabilem Virginem aliqui Angeli allocuti, ut quasdam personas faceret ad quædam publica officia promoveri, eò quod id esset è gloria Divina futurum; ipsaque id P. Ludovico Confessario suo exposuisset: noluerit ipse consentire, ob certas, & graves rationes. Cumque iterum iidem Angeli apud Virginem prò eodem negotio instarent, asserentes nihil eorum, quæ P. Ludovicus metueret eventurum, nihilominus ipse in sententia perstiterit, iudicium suum iudicio Angelorum præferendo. Et tamen hic tantus vir, quantoperè supexerit Venerabilem Virginem Marinam, patere potest ex lib. 2. cap. 25. ubi sic loquitur: *Revelationes, ac visiones recēsebimus de modo, quo re ipsa, & verè Christus Dominus existit in Sacramento, quas mihi enarravit, deditque scriptas dum docerem Theologiam anno 1595. in nostro Collegio Vallisoletano. Docebam autem tunc materiam de Eucharistia, atque hoc punctum de transsubstantiatione. Referebat mihi id talibus verbis, & cordis affectibus, ut obstupescens, conferendo meas tenebras cum tanta luce; dicerem Confiteor tibi Pater, Domine Cæli, & Terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & revelasti ea parvulis. Ita Pater, quoniam sic placitum fuit ante te.*

13. Hujus tanti viri vices quandoque frater ejus germanus P. Fr. Andreas de Ponte Ordinis Prædicatorum, ut itidem virtutis, ac doctrinæ eximiæ, supplebat

bat in confessionibus, & revelationibus excipiendis; qui & ipse maximi has revelationes faciebat, prout de eo narrat P. Ludovicus. Sed, & aliis quibusdam præclaris ex S. Dominici familia viris nonnunquam confitebatur, ac cælestia hæc secreta manifestabat, prout videre est *l. i. c. 32.*

Alterum argumentum certissimæ harum revelationum veritatis est vita ipsa Ven. Virginis Mariæ, Sanctitate, & omnis generis virtutibus heroicis fulgentissima; de quo cum P. Ludovicus de Ponte in sua introductione supra relata præclarè differat, non est; cur hic amplius exaggeretur.

14. Tertium argumentum itidem à P. Ludovico inductum, est ipsa excellentia harum revelationum undique divinum quid spirantium. Tanta profecto, tamque sublimia in eis traduntur ad virtutes altissimas, ad discretionem spirituum, ad gubernationem animarum, pertinentia lumina, & documenta, ut omnes mundi Doctores, sine speciali, ac extraordinaria, & sublimi Spiritus Sancti illuminatione, nullo modo, solo lumine naturali Scientiarum tale quid excogitare, multoque minus omnes Hæretici, aut quicumque impostores, quocumque etiam malignorum spirituum auxilio confingere possint. Videatur vel solus *liber 5. à c. 22.* ubi ex professo tractat doctrinam altissimarum virtutum, & gubernationis Animarum.

15. Quartum argumentum est à valde specialibus circumstantiis, temporis, & loci, aliisque in quibus hæc revelationes acciderunt. Sciendum namque est. Virginem hanc in ea tempora incidisse, in quibus universa Hispania, fuit gravissimè adversus mulierum revelationes exulcerata, eò quòd paulò antè non modò populus, verum, & viri ex omni statu summi, ipsique scientia-

tiarum, & Academiarum, quin, & Ecclesiæ pariter, ac
 Aulæ regiæ togâ Sagòque Principes, à muliercula qua-
 dam Dæmoni devota Ulyssipone, pudendam planè
 passi fuissent imposturam, tam acerbo sensu doloris, ut
 is etiam putetur viro cuidam magno vitam extorfisse,
 qui tam propudiosæ suæ illusionis verecundiam non
 potuerit sustinere. Cùm ergo ad ea ipsa tempora Ven.
 Virginis Marinæ revelationes cæperint propalari, ne-
 cesse est omnem odiorum, ac acerbissimarum linguarū
 procellam in eam fuisse conversam, ut omnia ejus ge-
 sta, dictave, ac omnes visiones essent omnibus susce-
 ptissimæ, atque in earum omnium reprobationem, quin,
 & detestationem, propenderent universi. Et tamen post-
 quam, & in conspectu Tribunalium, & Inquisitionis, &
 in præsentia ipsorummet sapientissimorum Regum, to-
 tiusque Aulæ Regalis, & in oculis Universitatum; ver-
 bo, in luce totius Hispaniæ revelationes hæc fuissent fa-
 cilè 40. annis, continuatæ, divulgatæ, trutinatæ, exa-
 gitatæ, uno quodammodo ore omnium tam sæculariū,
 quàm Religiosorum Doctorum, Inquisitorum, Episco-
 porum, Universitatum, sunt pro Sanctis, & Cælestibus
 agnitæ, collaudatæ, proclamatæ: adeo ut in quadam
 post ejus mortem concione non nemo Ecclesiastes, vel
 hinc eam vere sanctam, verè à DEO Divinis revela-
 tionibus honoratam cum plausu Auditorum probave-
 rit, *quia in hoc, inquit, cōsentiūt etiam illi ordines religiosi,
 qui alioquin, ubi possunt, solent, & quasi conātur dissentire.*

16. Quintum argumentum est ab ingenti hujus
 etiamnum viventis Virginis apud summos viros æsti-
 matione, & auctoritate. Societatis Nostræ Præposi-
 tus Generalis P. Claudius Aquaviva, vir inter suæ
 ætatis sapientissimos meritò recensendus, ejus apud
 DEUM præcibus statum Societatis universæ commen-
 da-

davit. Patres Hispaniæ Visitatores ex eadem Societate in rebus difficilibus ad ejus apud DEUM opem, quin, & ad ejus consilia, & divinitus reddenda responsa recurrerant. Ipsa Regi Hispaniarum Philippo Tertio binas DEI jussu misit Epistolas, de negotio Immaculatæ Cōceptionis Beatissimæ Virginis Deiparæ: ut, & ad R. P. F. Dominicum Pimentellum Provinciale Hispaniæ Ordinis Prædicatorum, postea Episcopum Conchensem, & Sanctæ Ecclesiæ Romanæ Cardinalem. Quin, ex eodem divino jussu scripsit hac de re ad ipsummet Reverendissimum ejus ordinis Generalem, bono, prout ipsa divinitus intellexit, successu. Ejus præcipuè intuitu imposita est Concionatoribus per Hispanias lex, ne sermonem ad populum incipiant, nisi prius laudem Immaculatæ Conceptionis Beatissimæ Virginis Mariæ pronuntient. Ipsa instruebat suos proprios Confessarios, ipsumque P. Ludovicum de Ponte quomodo regendæ essent anime, & spiritus discernendi. Instruebat etiam Præsides ac Superiores Religiosorum de modo suos subditos ad DEI beneplacitum gubernandi, prout videre est l. 5. ac specialitèr in Epistola ad Provinciale Hispaniæ Ordinis Prædicatorum An: 1599. ibidè c. 31. relata. Denique apud ipsum supremum Ecclesiæ caput, operâ ejus, effectum est, ut in Ecclesiasticos factos referretur sollemnis memoria. S. Joachimi Patris Sanctissimæ Virginis, ob quam ab ea navatam operam S. Anna gratias ei coràm spectabilis retulit, & in universam Ecclesiam ingentia pacis bona sunt consecuta divinitus, prout habetur l. 4. c. 8.

17. Non erit etiam superfluum apponere sensum P. Roderici de Arriaga, à Theologicis suis tomis per orbem clari, quem sæpissimè ipsemet audivi magnificè de Venerabili Virgine Marina, ità loquentem, ut

Pragenſi in Collegio noſtro paſſim diceretur, quamprimū fieret mentio Venerabilis Marinæ, mox P. Arriagam fieri tam eloquentem, ut nullum finem eam laudandi inveniret; dicebat ipſe intèr cętera, ſe coram illa ſacrum ſępius celebraſſe in ejus cubiculo, eique venerabile Sacramentum porrexiffie, quo ſumpto ipſa ſingulis vicibus per dimidiam horam formoſiſſimę puellę vultu apparuiſſet, tametſi alioquin reliquo tempore eſſet rugoſa jam vetula. In illo etiam cubiculo, tametſi omnes fenęſtrę eſſent occluſę, & obmuratę, (eò quòd ob oculorum vitium lucem non poſſet ſuſtinere,) adeoque valde tenebricoſo, ſemper tamen a jebat auram fuiſſe ſimilem illi, quę in vere ſentiri ſolet in quopiam amœno prato.

18. Sextum argumentum eſt ab eximiis fructibus, quos hæc Venerabilis Virgo ad gloriam DEI protulit quos quidem infrà ſeorſim recenſebo, unicum nunc commemorare contentus, quòd ipſa ſit fundatrix Ordinis Virginum S. Brigittę quem in Regna Hiſpaniæ induxit, novaſq; ei regulas, DEI monitu, nationi Hiſpanicę accommodatas præſcripſit, prout legere eſt *lib. 5. c. 20.*

§. III.

*Quare DEUS in his revelationibus utatur tantis
erga ſuos blanditiis.*

19. **Q**uemadmodum reliqua ſua omnia attributa vult Divina Majeſtas ſuis creaturis innotefcere, ita vult quoque eis innotefcere, ſui amoris omni in genere perfectionem

nem infinitam. Cùm ergo eam, quæ in amore Gubernatoris ergo suos subditos, in amore Parentis erga filios, in amore Pastoris erga suas oves; in amore Fratris erga suum fratrem, in amore Magistri erga suos discipulo, in amore Domini erga suos servos, quin, & in amore Filii, erga suum Patrem, & Matrem, cum inquam omnem eam, quæ in his amoribus relucet, perfectionem, in vario suo erga creaturas, amore, longè eminentissimo modo contineri, diversis, ac multis jam ab Orbe condito modis manifestasset; necesse etiam erat, ut aliquando, ostenderet bonum illud, quod in amore, blando, qualis præcipuè est inter matrem, ac proles parvulas, inter gerulam, vel nutricem, ac ejus lactantem; inter sponsum, & sponsam, Amori suo non deesse: cum ipse re vera, non solum noster Dominus sit, & Magister, sed etiam Pater, & Mater, & Nutrix, & gerula, & Sponsus animarum nostrarum, nec in attributo amoris blandi minor, quàm in ullo alio attributo.

20. Manifestum est ergo debuisse in mundo exstare non minora, nec minus omnem nostrum captum excedentia miracula blanditiarum DEI erga creaturas, quàm exstant miracula Sapientiæ, Omnipotentia, Justitiæ, Misericordiæ. Manifestum prætereà est, longè magis novo, quam veteri Testamento has blanditias convenire; utpotè cum vetus lex timoris fuerit, & severitatis, nova verò sit lex gratiæ. Imò verò hæ tantæ à DEO blanditiæ sunt unum ex præcipuis signis veræ Ecclesiæ longè super veterem Synagogam elevata; adeò, ut nisi cælestes hæ blanditiæ nunc invenirentur, videretur DEUS Prophetas suos fefellisse, per quos pridem prædixerat, & specialissimè in libro Canticorū explicaverat, quantis erga sponsam suam Ecclesiam, esset quondam blanditiis usus; quas quidem qui ibi

legit, non potest quin obstupescat illum excessum, quē in nullo terreno sponso ulla unquam ætas vidit; quia videlicet DEUS prout in omni genere entis, ita, & in ratione blandi amoris, omnem possibilem creaturam in infinitum excedit. Indè est, quòd in illo divino epithalamio tam exoticæ, ac planè obstupescendæ inveniuntur similitudines, & comparationes; ad eum modum quo nimis ardentibus Amasiis, dum in suo æstu amoris hærent, nulla metaphora satis est ad declarandum suum ergà dilectam tenerrimum amorem. Cùm ergo harum omnium in veteri testamento prænunciarum blanditiarum copia debeat in Ecclesia DEI apparere, juxtà illud Esaiæ 66.v. 12. *ad ubera portabimini, & super genua blandientur vobis, quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos*: planè necesse est, ut eas aliquibus in novo Testamento exhiberi palàm innotescat. Quod profectò quisquis consideraverit, mirari desinet, quascumque in revelationibus Sanctarum legerit cœlestes blanditias, cum, & omnes non excedant eas, quæ in Canticis sunt prædictæ. Quod si quibus blanditiæ hæ adhuc displicent, quanto magis displiceret, si legerent D. DEUM ita Virginem quampiam Sanctam adamavisse, ita ei blanditum esse, ut diceret: *O quam pulchra es Amica mea! tota pulchra es! oculi tui sicut piscinæ in Hesebon, nasus tuus sicut Turris Libani, guttur tuum sicut vinum optimum*; & his similia, quibus se Sponsus Cœlestis quodammodo defatigat, ut blandissimum suum erga animas nostras affectum satis declaret. Nimirum hi sunt, de quibus diceret S. Augustinus: *Da amantem, & intelliget quid dico*: quia quæ ex corde frigido prolata essent inepta, ea suum habent decus, quādo ex corde affectibus inflammato præcedunt. Neque enim ille magnopere amat,

qui

qui adhuc vulgaria, & consueta loquitur, ita ut appareat eum omnia verba præmeditari: in tali enim nec dum affectus dominatur; at qui amore totus incenditur, ille ea loquitur, quæ non debent ad rigorem ordinariû prudentiæ, & ad libellam omnia cautissimè perpendicularis rationis, examinari; alioquin nunquam dixisset S. Augustinus: (quod passim dixisse fertur:) *O' DEUS! Si ego essem DEUS, & tu esses Augustinus, mallem ego esse Augustinus, ut tu esses DEUS!* nunquam Sãcti se Dẽmonibus omnibus pejores reputarent; nunquã ad tam mira obsequia cæcæ obedientiæ intellectum submitterent; quæ quisquis frigidus ipse consideraverit, aut solum intellectum, non verò affectum respexerit: nunquam ut approbet inducetur: Sapiens est illud effatum; amorem ad ea, quæ facere non potest aspirare: amorem excessibus vivere: amorem esse cecum: ut nolit ab oculis intellectus terminos sibi statui; sed eò evolat, quò intellectus sibi relictus, non præiret: ita ut extrã impetum amoris facta, notam imprudentiæ non evaderent; quæ tamen in æstu decori, ac honesti amoris facta, decent, ac placent: imò nisi fierent, amor non esset vehemens, nec dilecto innotesceret. Huc pertinet illud Agesilai Regis cum suis filiolis in arundine equitantis, responsum: *nescitis quid sit esse Patrem.* Quin, & hinc ortum habuit ipsa Christi Domini pro nobis mors, & passio, verè excessus amoris. Unde B. Jacoponus cum ei sese amore Christi Domini in cloaca voluntanti Christus Dominus conspicuus utrum stultizaret exprobrasset, opportunè respondit: *Tu potius, ò Domine, tu magis stultizasti, quando amore mei, tam miseri hominis, patibulum inter duos latrones ascendisti.* Et propterea ipsemet Christus Dominus Ven. Virgini Marinæ ad tantos favores attonitæ anno 1612. 20. Maii prout scri-

scribitur l. 2. c. 21. §. 4. dixit: *Noli obstupescere, me hoc facere, propter unicam animam. Seis enim, ac fide credis, majora, quæ pro omnium salute feci: & si opus esset facerem pro una illarum.* Aliàs prout habetur l. 1. c. 3. §. 3. dicenti, quòd tanta vix legantur contigisse Sanctis, respondit: *ergò ne mea potentia est alligata solum ad id, quod feci? Iterùm alias obiicienti: Domine quis unquam credet tantas, ac tam mirabiles gratias? Respondit: quare non crederentur? Nonne fuit magis mirum, quod sim factus homo propter homines, & tantum illorum causa fuerim passus, quodque vobiscum manserim in Sacramento Altaris? Item cum eam in lecto decumbentem vellet propriis manibus sublevare, ipsaque huic dignationi valde reluctaretur: Adverte, quid est plùs, an quòd hoc tibi faciam, quòd me juvante consurgas, an verò, quod maneam in Sanctissimo Sacramento, ut me sumant ij, quos ego amo, propter quos etiam sumor à tot malis Sacerdotibus, & secularibus?*

21. Et re vera si Evangelium perpendamus, & in eo Christum Dominum ad pedes Judæ prostratum, à Demone ad montem deportatum, à Judæis consputum, colaphizatum, denudatum, irrisum, flagellatum, in patibulo suspensum consideremus; evanescet omnis illa nostra opinio, quæ dignationes Sanctis in Ecclesia exhibitas, DEUM dedecere arbitramur, aut ne pariant contemptum, veremur; Cessabit, & illa nimia admiratio, quòd in his Sancti se reciprocè ergà Deum tam blandè gerant, & tam mira mutuæ confidentiæ exhibeant specimina: neque enim sine his satisfaceret blandi amoris perfectioni. Quanquam etiam extra similes revelationes, multi Sancti blandissimè cum DEO egerunt, ut patet in meditationibus SS. Augustini, & Anselmi, in júbilo S. Bernardi, & vel maximè in illis can-
ti-

tilenis, ac ritibus, quos Ecclesia in festis Natalitiis erga Christum Dominum adhibet, ubi Christum Dominum in cunis agitari, Angelos ad pulmentum coquendum destinari planè non ferrent, aut cachinnis exciperent illi, quibus blanditię illę in revelationibus Sanctarum, tam vicinę fabulis anilibus, aut Comędiis videntur.

22. Specimina nimirum quędam, & pręludia hęc sunt futurę quondam in Cœlis cum DEO familiaritatis, ubi Christus Dominus *transiens ministrabit suis*, cujus etiamnum *delicię sunt esse cum filiis hominum*. Qui si amore nostri victus, nostra non est dedignatus assumere tædia, & tristitias; cur, & nostras blanditias dedignaretur? Qui nos redimit sanguine, dedignabitur suas electas animas sibi annulis desponsare, torquibus, floribus, monilibus exornare, variis vestimentis condecorare? satis id profectò testantur ea, quę in Breviario Romano S. Agnes ab hoc suo Cœlesti Sponso deliciosè sibi, haud dubiè in aliqua visione, contigisse enarrat. *Mel, & lac ex ejus ore suscepi, & sanguis ejus ornavit genas meas. Dextram meam, & collum meum cinxit lapidibus pretiosis. Tradidit auribus meis inestimabiles Margaritas. Circumdedit me vernantibus, atque coruscantibus gemmis. Ejus mihi organa modulatis vocibus cantant. Annulo fidei suę subarrhavit me; Induit me cyclade auro texta, & tanquam sponsam decoravit me corona. Ostendit mihi thesauros incomparabiles, quos mihi se daturum repromisit.* Quibus quidem similima in vita Ven. Virg. Marinę passim reperiuntur.

23. Denique si Dæmon ipse tam promptus, quandoque suis adest, eisque se exhibet familiarem; dubitari ne potest quin infinities propensior sit, ac paratior ad omnem DEUS nobiscum familiaritatem? Neque enim

enim Dæmon id ipsum ullo, nostri amore, sed solum
quâdam affectatione imitationis DEI facere putandus
est, prout in rebus omnibus Simiam Divinitatis agere
affectat.

§. IV.

*Quare ejusmodi Revelationes mulieribus potius
præsentur, quàm Viris?*

24. **N**Ego in primis certò constare pluram
DEUS mulieribus, quàm viris revelet,
præsertim cum revelationes non sint unius
generis, prout habemus ex D. Thoma 2.2.q.174.a.2.&
3.ubi docet excellentissimum modum prophetiæ, ac re-
velationum. quique à solo DEO (q.172.a.5.ad 2.) non
verò à Dæmone præstari possit, esse eum per quem ali-
qua supernaturalis veritas conspicitur secundum intel-
lectualem veritatem, non per similitudinem corpora-
lium rerum, secundum imaginariam visionem, adeòq;
non per phantasiam; atqui ea, quæ nullo modo sub-
sunt phantasiæ, non sunt enarrabilia, aut certè non
possunt propriis verbis explicari, sed solum per quas-
dam planè ineptas, improportionatas, & insufficientes
similitudines: prout videre est in revelationibus B. An-
gelæ de Fulginio l.1.ubi frustra laborat, quin, & ejus
Confessarius, in explicando debite quidnam viderit,
quando quadam vice, certo quodam modo DEUM se
vidisse narrat. Patet hoc in Apocalypsi S. Joannis, ubi
plurima sunt ideò obscurissima, quia per similitudines
imaginarias, seu tales, quales phantasia nostra potest
capere explicantur, & indicantur profunda mysteria,
non

non imaginabilia, sed solum intelligibilia. Ita in vita Ven. Virginis Marinae l. 3. c. 1. 8. 1. valde est admirabilis visio, ubi post alia, dicit Ven. Virgo, *quale sit hoc secretum admirabile, nec suppetunt verba, neque reperitur ullus creatus intellectus, qui possit sufficienter declarare. Deus det cui voluerit, ut id experiatur, & agnoscat ita esse.* Cum autem sæpius ibi Ven. Virgo utatur similitudine maris, & littoris, subdit: *Voco autem littus, egressum ex hac immensitate; non quod ibi viderim mare, vel littus, aut aliam speciem corpoream.* Deindè §. 4. jussit DEUS conscribere quomodò anima in Divinam caliginem absorpta se habeat, & quod tunc loquatur, *ea phrasi, ac sensu quo illic agitur.* Ex quibus apparet, quod illa non sint nobis satis exprimibilia. Et propterea tales ita ad solum intellectum pertinentes revelationes, sunt aliis hominibus, præter eos, quibus fiunt, ferè inutiles, eo quod non possint enarrari, ita ut etiam si in libros referantur, vix ab ullo intelligantur. Sunt tamen eateenus utiles, quatenus videndo tanta, & tam imperceptibilia dona à DEO Sanctis præstari, excitemur ad sincerum ejus Majestati præstandum obsequium. Insuper Sanctus ille, qui revelationibus illis intellectum habet tam illuminatum, redditur valdè aptus ad præclarissima tradenda documenta, quibus in Sanctitate, & omni spiritali necessitate diriguntur. Cum ergo viri Sancti præ sanctis mulieribus excelluerint in gubernanda Ecclesia, atque in omnigena dirigendi spiritus doctrina, facilè credi potest, eos, quàm plurimas merè intellectuales habuisse revelationes, quas tamen ideo literis non tradiderint, quia nec satis exprimere potuerunt, nec sperarunt se satis ab aliis intellectum iri.

25. Sed quod ad revelationes phantasiæ operâ peractas attinet, videntur sanctis mulieribus frequentiores

accidisse, cum longè plures sint conscriptæ. Quod quidem mirum non est, cum Philosophi norint, fœminas in imaginatrice vî præcellere: Sciunt autem Theologi, quod gratia divina naturæ se accommodet, itaut in Angelis operetur ad quandam correspondentiam, & quasi proportionem naturæ Angelicæ; in hominibus verò accommodet se naturæ humanæ. Deindè in viris sit modo quodam virili, in fœminis fœmineo; sicut in Amos Propheta pastoritium quid apparet, quandò è contrario Daniëlis Prophetia, undique aulam, & quiddam regale spirat. Hinc fœminis non datur spiritus Apostolicus ad percurrendas gentium provincias, nec ad concionandum, aut Hierarchiam Ecclesiæ gubernandam; ut proindè mirum non sit, quod vicissim detur eis, præ viris, abundantia spiritus præcum, & orationis, ac tenerrimæ devotionis.

26. Jam ergo clara est ratio cur erga Sanctas mulieres tanta divina Majestas dignetur uti blanditiis, quia videlicèt, cum juxta suam sanctissimam voluntatem, quod in Canticis Canticorum pronuntiare dignatus est, statuerit omninò Ecclesiæ manifestare infinitatem sui tenerrimi amoris, & attributi divinarum blanditiarum, ubi quæso aptius blanditias illas exercet, quàm erga sexum planè ad blanditias natum? aut ergà quem aptius assumet personam Sponsi, quàm erga Sanctas Virgines. Ipsamet hoc agnoscit Ecclesia, dum Sanctimoniales specialitèr ornat titulo Sponsarum Christi.

27. Et verò in hac vita satisfaciendum est etiam phantasiæ, cui nunquam persuadebitur blanditias inter duos grandes viros, aptè adhiberi; itaut alter alterum compellet: *columba mea: aurora mea: ecce tu pulchra es: cum ergo sciamus Christum Dominum esse virum, Deum verò ipsum semper etiam sub sexu virili; imò sub*
figu-

figura viri grandævi concipiamus; planè phantasię nostræ non satisfieret, si inter eum, & virum quempiam Sanctum, tenerrimas illas Canticorum blanditias mutuò in quapiam visione intercessisse audiremus. Si quidem hos, verba potiùs gravitatis plena, & autoritatē spirantia decere arbitramur. Non diffitemur tamen, posse à viro quocumque etiam gravissimo blanditias, & verba teneritudinem redolentia non ineptè adhiberi erga suam sponsam, aut etiam erga tenerum quempiam suum filiolum, vel quemvis alium puellum.

28. Et propterea ut nobis se divina Majestas etiã in hoc accommodet, si quando ejusmodi blanditiis vult Sanctos viros dignari, tunc eis se Christus Dominus in specie infantis, aut pueruli exhibet, ut detur reciproca teneritudini locus. Quin, & illud animadvertum est, quod ipsa SS. Virgo Deipara potiùs fuerit solita cum iis conversari, eò quòd sic in persona, vel matris, vel sponsę potuerit cum eis agere bládissimè. Hinc quoque ortum est, ut Christus Dominus nunquam legatur sibi annulo desponsasse in sponsum, vel sponsam ullum Sanctum virum; sed bene permultas Virgines; quando è contra SS. Virgo Mater Dei nullam sibi desponsavit Sanctam, sed Sanctos, ut S. Edmundum. Quod si quando Deus, velit sibi virum desponsare, assumit personam fœmineam Misericordiæ; vel Sapientię, &c. prout factum est erga S. Joannem Eleemosinarium, B. Laurentium Justinianum, Henricum Amandum Susonem, &c.

29. His sic stabilitis, nihilominùs ipsamet divina Majestas adhuc aliam causam assignare dignata est, dũ S. Theresiæ, cur sibi misericulę fœminæ, & non potiùs Primariis Academiarum Doctoribus, tam familiaritèr colloqueretur, interroganti, respondit: *Doctoribus illis*

non vacare, propter tot quos perlegendos assumunt libros.
 Ex quo divino responso profectò apparet, ipsosmet vi-
 ros sibi obstare, utpotè aliis nimis intentos; quando
 interea sexus foemineus præcipuâ curâ soli DEO attē-
 dit. Accedit, quod ex divinis habeamus litteris, cum
 simplicibus esse Dei fermocinationem. Mirum ergò nō
 est, quod non solum mulieribus præ viris, sed etiam
 idiotis præ eruditis talia mysteria innotescant: adeò
 etiam voluerit DEUS, quandoque per foeminas inno-
 tescere quædam, quæ universam Ecclesiam concerne-
 bant, quale fuit, & illud, quod per S. Luciam Virginem
 Martyrem Syracusanam revelaverit finem imminere
 immanissimæ illiusâ Diocletiano excitatę persecutio-
 nis. Sic Sanctus Franciscus Xaverius ex studiis, quibus
 in Parisiensi Academia vacabat, fuisset avocatus, &
 consequenter Indiæ hoc Apostolo caruissent, nisi sorori
 ejus, quantus esset in vinea Domini operarius futu-
 rus, fuisset divinitus indicatum. Sic Societas Jesu, per
 S. Ignatium tanto fructu in Ecclesia DEI erigenda, fuit
 prius ab aliquot Sanctis mulieribus prævisa, & ab eis
 prænuntiata.

§. V.

*Quomodo fiant Coelestes hæ re-
 velationes.*

30. **T** Riplex est à S. Thoma 22. q. 173. a. 4. modus
 descriptus. Primus quando ipsis sensibus
 exterioribus aliquid percipitur; prout Da-
 nieli apparuit manus scribens in pariete, & sæpius vo-
 ces variæ sunt audita. Secundus quando solâ imagina-
 tio-

tione aliquid percipitur; prout fit per somnia, & prout sunt pleræque omnes, quas descriptas habemus, revelationes plene corporeis, quas phantasia percipit, similitudinibus. Tertiüs, quando per solas species intelligibiles soli menti, & intellectui aliquid imprimitur; prout factum Salomoni, & Apostolis, de quo jam diximus §. precedenti. Primus autem modus est facilis, & cognitioni obvius. Medius ille habet difficultatem. Fit ergo ille, prout docet S. Thomas 22. q. 172. a. 2. o. vel per novas species imaginarias phantasiæ impressas, (prout fieret si alicui cæco nato divinitus imprimerentur in imaginatione species colorum) vel per hoc, quod species jam antea per sensus acceptæ, divinitus ordinentur, & trāsmutentur diversimodè in ordine ad id, quod est ab anima illa intelligendum. Sicut enim ex diversa ordinatione earundem literarum, accipiuntur diversi intellectus, ita etiam secundum diversam dispositionem phantasmatum resultant in intellectu diversæ species intelligibiles. Hoc autem potest utrumque fieri, tam in vigilia, quàm in somno.

31. Hinc jam facilè solvitur, ea, quam quidam obiiciunt, difficultas; quod videlicet hæ Sanctorum revelationes videantur somniis simillimæ, atque ideò appareant ridiculæ: nam re ipsâ verè aliquando fiunt in somno, prout contigit SS. Patriarchis Jacobo, & Josepho; & alias semper fiunt modo somniis non dissimili, prout loco citato insinuat Princeps Theologorum. Unde etiam iste modus est obnoxius illusionibus Dæmonum, potestque etiam ex morbis contingere: adeoque indiget accurato examine, ut spiritus divinus à spurio discernatur.

32. Est tamen modus iste in hoc præ aliis utilis, quod talis revelatio possit facile per modum Historiæ
lit-

litteris tradi, prout in se ipsa gesta est; tametsi sæpe lateant profundiora mysteria, prout patet in Apocalypsi S. Joannis; quæ quidem videtur magna parte facta in imaginatione, & modo quodam somniis non planè ab simili.

33. Neque tamen dubitandum est, quin sæpe interveniat modus ille primus, quo re vera sensibus externis ea ex quibus cõstat revelatio, percipiuntur; prout cum Ven. Virgine Marina sæpiùs contigisse certum est.

34. Sed præcipua restat difficultas, num Sancti re ipsa verè corpore adsint ibi, ubi aliqua percipiunt: ut quando Ven. Marina toties narrat se fuisse in Cœlo, atque in diversis terrarum Provinciis, aut Templis, vel domiciliis, &c. Habet hanc difficultatem S. Doctor 22. q. 175. a. 6. ub tractat locum S. Pauli 2. ad Cor. 12. *sive in corpore, sive extra corpus, Deus scit;* & respondet non posse hanc quæstionem satis detèrminari, cum ipsemet S. Paulus hæc ignoraverit. Unde meritò, nec à me, nec ab ullo in carne, peti debet, ut quæstionem hanc planè decidamus.

35. Quod tamen ad Ven. Virginè Marinam specialitèr attinet, fuit ipsa sæpissimè unà cum corpore ad diversa loca translata, cum ipsamet id expressè sæpiùs asserat; & intrà ipsum cubiculum ordinariè etiam spectantibus hominibus, solita sit Angelorum ministerio levari ex lecto, prout ejus necessitas corporalis exigebat. Sed an etiam in Cœlum fuerit aliquando cum corpore translata, nec ipsa satis exprimere mihi videtur, nec aliundè colligere porui; cum nullibi declaretur, an corpus ejus tunc, & quidem quandoq; per plures dies à lecto abesse fuerit animadversum.

36. Qui plura de modo revelationum, & raptuum scire velit, legat S. Thomam 22. q. 171. usque ad 175. inclusivè.

37. Ne-

37. Neque tamen dissimulare volo in hac Ven. Virginis Marinae vita, esse quid hoc in puncto præ aliis revelationibus admirabile, prout præter loca alia, habetur etiam l. 3. c. 13. & 14. ubi Christus Dominus animam ejus ex Cœlo ad eam detulit, tanquam quid ab ea distinctum, dixitque eam esse partem superiorem animæ. Sed planè stupendum est quod habetur c. 14. §. 3. quomodo superior pars animæ habitans in Cœlis salutaverit advenientem ad Cœlum partem inferiorem ejusdem animæ §. 4. Cùm pars inferior rediret in terras, pars superior remansit in Cœlo. Deinde §. 5. putat ipsamet Ven. Marina, fuisse in Cœlis coniunctas, suam animam, & suam naturam, seu suam partem superiorē, & inferiorem. Quæ omnia puto esse emblematicè intelligenda, ut exprimatür quomodò, cogitationibus, & corde possimus per divinam potētiam ita DEO inhærere, ut tamen his inferioribus naturæ operationibus tunc etiam adhuc sufficiamus; sed tamen facilè admitterim, me non esse sufficientem ad tantas DEI gratias explanandas, cum hæc sit gloria DEI, ut omnem nostram capacitatem opera ejus excedant.

§. VI.

*Qui sint apti ad legendum cum fructu tales
revelationes.*

38. **U**T suus his Cœlestibus revelationibus fructus constet, advertendum est, non prò omnibus vulgari, cùm non desint quidam ita dispositi, ut noxiæ potius eis essent futuræ, quàm salutare; prout nec Sacræ Scripturæ promiscua
lectio

lectio omnibus expedit, aded ut nec in Religiosorum tricliniis super mensam omnia quæ in ea continentur, prælegantur.

39. In primis ergò non porrigendæ hæ reuelationes hæreticis iuxta Divinum Christi Domini monitum: *Nolite Sanctum dare canibus*. Ipsi enim hæc præciosissima Catholice Ecclesie cimelia foedissimè discerperent, conculcarent, & scurrilibus suis diæteriis, ac fannis (proût à Patriarcha suo Martino exemplum acceperunt) defædarent, cum nec ipsi Sacræ Scripturæ, ac in primis Sacratissimo, illi Coelestis Sponsæ in canticis Epithalamio parcant; Sed illud in profanis suis nuptiis, carnalibus suis deliciis adaptent, ac primo incitamento suæ libidinis adhibeant. Nihil eis occurrere potest quam carò, quam cœnum, quam fœtor; quem in colloquijs, in picturis, in libris exhalant. Lutheri fuit spiritus omnia negare; ut hodieque Lutheranismus præcipuè fundetur super hanc maximam; *plus potest unus stultus negare, quàm centum sapientes probare*. Et propterea Lutherani post quantamcumque demum disputationem, evidentem probationem, & clarissimam demonstrationem, semper adhuc obstinatè, planè quasi ad tantam lucem cæci clamant, & ingeminant, sibi denique non videri. Mirabile autem est, quòd cum eò sint imprudentiæ progressi, ut in rebus ad salutem æternam spectantibus eis persuadendis, nulla eis testimonia, nulla signa credibilitatis sufficiant, adedut pro libidine sua quem volunt librum pro Canonico suspiciant, quem nolunt, repudient, & ex Sacra Scriptura expungant: fabulis tamen & anilibus nugis facillimè credant, proût ex Kalendario eorum perpetuo sunt plena futilibus, quibusdam narrationibus, de novis prodigijs, & portentis, quæ etiam,

etiam, quasi ad tenorem populi, per compita decantant, typis euulgant, nec de his finè nota imprudentiæ putant licitum dubitare. Iusto DEI supplicio in eos, qui sui Martini sordes ausi sunt Ecclesiæ, & omnibus SS. Patribus anteferre.

40. Sed dicet quis, potius ergò tales revelationes non essent typis vulgandæ, ne in scurriles hæreticorum manus incidant; at sic omnes etiam Monachorum ordines, eorumque vestes, omnes item cæremoniæ, ac libri rituales, plurimorum item Sanctorum vitæ, aliaque innumera essent abroganda, quia hæretici suæ sibi inde faciunt materiam scurrilitatis.

41. Secundò non sunt ad harum reuelationum lectionem admittendi homines sceleribus præsertim carnalibus, penitus immergi, *ne Margaritæ proiiciantur ante porcos*. Siquidem & his non minus quàm Lutheranis mox se ingerit caro, & omnia hæc cœlestium blanditiarum specimina eis obnubilat exhalatio libidinosa.

42. Tertiò nec sunt revelationes hæ lectu utiles hominibus penitus idiotis, aut quibus nihil penitus de via perfectionis innotuit: hi enim ad omnia hæc planè hærent attoniti, nec aduerterent sub corporalibus his symbolis latere mysteria cœlestia; adeòque ex omnibus nimis ruditer acceptis, tanquam D E O indignis, non nisi offensionem, & confusionem referrent. Hinc etiam non expedit in quavis lingua vernacula eas dedi.

43. Quartò non sunt etiam his revelationibus legendis apti, quorum aut indoles, aut prava consuetudo est omnibus contradicere, semper aliena carpere, nec quidquam admittere, quod ipsimet experti non sunt. Multòque minus illi qui à spiritualibus abhorrent, ita ut non nisi profana eos delectent, & no-

va, militaria, historięque non sacrae. Huc etiam pertinere possunt illi, qui ad primum nomen foeminae revelationis commouentur, & mox; ut ita dicam, aures obturant; Ad quos respexerit Blossius, dum in fine appendicis, ad monile spirituale, postquam locutus est de revelationibus factis S. Brigittae S. Chatarinae Senensi S. Mechtildi, & S. Gertrudi, haec verba subiungit *Liquet, quam longè adhuc à spiritu DEI sint, qui praedictas revelationes tanquam somnia muliercularum reiiciunt, & irrident. DEVS illis ignoscat.*

44. Quintò non proficient etiam ex his revelationibus quicumque etiam docti, ac religiosi ordinibus adscripti, qui nihil antea de sublimi, ac delicata via unitivi cum DEO amoris in libris Asceticis, aut vitis extraordinariorum Sanctorum legerunt. Hinc non in quovis cœnobio expedit eas publicè legere, cum primum sit invenire aliquos, qui quidquid non intelligunt, contemnant; quorum autoritate permoti alii, etiam ipsi ab eis avertantur, eas vilipendant, ac planè explodant, sic quoque non sunt proponendae oſoribus omnis tenerae devotionis, solitis se appellare *solidos*, idest *exsuccos*: nihil nisi essentialia aestimantibus. Ex quibus omnibus patet, nec pro concionibus temerè quidlibet ex eis esse populo proponendum; sed cum delectu, ac praemissâ ferè declaratione, ac explicatione ad mentem auditorum praemuniendam, ne pro sperato fructu risus, vel offensio sequatur. Quòd autem contingat, etiam in doctioribus, quandoque haec non intelligi, mirum non est, cum non omnes Doctores Theologiae intelligant etiam Theologiam mysticam, aut exstases, & raptus; quin quandoque nec ordinarium modum contemplationis. Huc pertinet illud, quod Ven. Virgini Marinae contigisse refer-

fertur l. 1. c. 23. ubi S. Dominico agente iussa est ex sua solitudine egredi ad Monasterium Prædicatorum pro ipsorum aliquo spirituali auxilio; quod tandem fecit successu felici, de quo ipsa §. 2. sic subdit: lib. 1. cap. 23. §. 2. *Aliquot diebus continuabam, quod mihi DEVS inspirabat, eratque, ut exponerem Religiosis, quibus cum agebam, quadam puncta rerum Spiritualium; si quidem hoc magni Theologi, non bene intelligunt, nisi eorum habeant usum, sintque DEO familiares. Dicebam illis, exempli causa, quid sit unio animæ cum DEO, & quos in ea motus & affectus operetur hoc tantum bonum: alias autem, quid sit cognitio sui ipsius, quando illam DEVS per speciale lumen infundit animæ, non absque magna vehementia, & efficacia, & quos adeo admirandos, ac utiles producant effectus, in anima; alias quid sit spiritus, quid agere, & conversari cum DEO, qualisve modus, quo Divina Majestas aperit animæ, cui se ea ratione communicat, suam voluntatem, non in rebus dumtaxat ordinariis, verum etiam in extraordinariis.*

45. Aptissimæ ergo ad hanc tam singulares gratias legendas sunt illæ animæ, quæ puritate conscientiæ, & virtutum studio enituntur per orationis mentalis viam ad familiaritatem cum DEO pertingere: præfertim si jam aliquid per auditionem, vel lectionem, vel aliquam quamcumque demum experientiam de divini Amoris deliciis intellexerunt. Omnes item quos DEUS animâ ad devotionem pronâ donavit; multoq; maximè si cor habeant inclinatum ad deliciandum cum DEO, & ad quasdam pietatis teneritudines. Denique omnes quicumque magni faciunt eos Cœlestes gustus, quos divina misericordia suis dilectis communicat, quosquæ magis ordinariè ferventes religiosorum Novitii solent experiri.

46. Legendæ etiam à Patribus Spirituâlibus, seu aliorum in via spirituali Ducibus; ut variorum D E I ductuum acquirant notitiam, & intelligant quam mirabilis sit Deus in Sanctis suis, & quàm non sint animæ omnes ad eandem viam spiritus adstringendæ.

47. Denique legendæ etiam sunt à Theologis, ut videant quomodò hæc sint armis Theologis protegenda, & quomodò aut rudibus, aut malevolis respondendum, occurrendum, & satisfaciendum; atque ut mysticæ Theologiæ cum scolasticæ cognitione coniunctâ sciant, & possint tantò magis, & meliùs Ecclesiæ quacumque in occasione inservire; norintque aptum, & prudens de talibus ferre iudicium, ubi opus est, nè fortè in occasionibus oblati appareant talium penitus ignari, cum exiguò Ecclesiæ Catholicæ, & Academia-rum honore.

§. VII.

*Quanti fructus ex Sanctarum Mulierum
Revelationibus in Ecclesiam D E I
redundent.*

48. **U**Nica. S. Theresia sufficeret ad ostendendum quanta hinc nascantur emolumenta, quando ab illa unica cœlestibus visionibus illustrata, tot, & tanta sunt in universam Ecclesiam bona consecuta: verùm fructus aliquos ex innumeris enumeremus.

Primus sit, quem adducit P. Ludovicus de Ponte in vita Ven. Virginis Marinæ l. 2. c. 13. dicens: *Donum orationis, est fructus gloriosissimus qui colligitur ex hujusmodi*

di visionibus. Nempè per has anima quasi mahuducitur ad intimam cum DEO familiaritatem. Et in primis ex eis facillimè hauritur modus ille contemplandi, qui à S.P.N. Ignatio vocatur *applicatio sensuum*. Itèm instructio, qui circa quodlibet mysterium affectus sint eliciendi. Prætereà magnum hinc accipitur adjumentum ad SS. Communionem, quàm piissimè obeundam.

49. Secundum est egregium signum credibilitatis Ecclesiæ Catholicæ ex tanta abundantia spiritus devotionis, & doctrinæ Asceticæ, atque ex tam sublimi, etiam in sexu fragili, Sanctitate, & cum Deo familiaritate; quando nostri temporis hæretici, non dico Sanctas Virgines, sed vix habent Virgines; Si quidem, ut ajunt, mandata DEI ac virginitas servatu iis sunt impossibilia. Doctrinæ verò Asceticæ nec vestigium apud eos exstat, ut ipsum etiam nomen ignoretur, totaque teneræ devotionis substantia demum in quibusdam exquisitis constet epithetis, quibus exempli gratiâ Christi Domini vulnera appellant rubino rosea, aut purpureo rubicunda. Et verò quam grandis est iste honor Ecclesiæ, quòd in unius Catholicæ mulieris libello plus exstet sublimis, & excellentis doctrinæ Sacræ, quàm in toto Alcorano, in tot Thalmud, in omnibus Grecorū, Aegyptiorum, Arabum, Sinarum, & reliquarum gentium profanis Philosophis, in omnibus Hæreticorum, & Prædicantium tomis.

50. Tertius est, quòd Ecclesia Dei hinc habeat prò eis, qui in gradu eminentiori DEO serviunt, etiam quædam eminentiora lumina, incitamenta, præsertim prò contemplativis. Neque enim decorum fuisset, si homines devotioni magis addicti, nihil speciale, præ aliis quibuscumque justis habuissent. Et verò quidnam potest esse efficacius ad extorquendum à corde nostro er-

ga DEUM amorem, quàm si nos ab eo tantopere amari videamus? Quin etiam hinc desumitur robustum in omnibus hujus vitæ difficultatibus solatium, dum videmus tanta nobis à DEO in Cœlis præparari.

51. Quartus fructus est discretio spirituum, & prudentia præ agnoscendis DEI ductibus, & variis unionis gradibus necessaria. Certè à S. Thæresia didicerunt viri doctissimi, totaque Religio Carmeli. Magnus ille spiritus Magister in Societate nostra, P. Achilles Gagliardi, sapientissimum illum suum libellum ornavit eis, quæ à B. Aloysio Gonzaga adolescente intellexit. Ità Ludovicus Blossus multus est in allegandis pro librorum suorum firmamento Sanctarum mulierum visionibus, & doctrinis: id quod etiam videre est in tomis P. Nicolai Lancicii Societatis nostræ.

52. Quintus fructus est, quod per eas plurimorum fidei nostræ mysteriorum plenior accipiamus cognitionem, præsertim eorum quæ circa Christum Dominum nostrum à SS. Evangelistis sunt prætermissa. Sic *l. 2. c. 25. §. 1.* Christus Dominus Ven. Virg. Marinæ miranti cur sibi tanta de Venerabili Sacramento ostenderet, dixit *lib. 2. c. 25. §. 1. Ego volo, ut mei Amici hic aliquantum degustent, & cognoscant mysteria, quæ præ illis, & præ ipsorum bono, ac remedio sum operatus in Mûdo.* Plurima etiam nobis innotescunt de statu vitæ futuræ, tam in Cœlo, quàm in Inferno: atquæ ut sciamus, nos in Cœlesti Patria non futuros instar immobilium truncorum, nihilque operaturos. Certè in revelationibus Ven. Marinæ quasi specimen quoddam cœlestis vitæ voluit Deus extare: quanquam, & pleraque veteris Testamēti mysteria mirabiliter in ea renovavit, ut Scalam Jacob, & luctam cum DEO *l. 3. c. 4.* Moysem, qui vidit posteriora DEI, & raptum S. Pauli *l. 3. c. 1. & 2.*
Abraham

Abraham qui tres vidit, & unum adoravit l. 3. c. 8. Rubum ardentem l. 2. c. 6. Eliam, cui Deus in sibilo venti apparuit l. 2. c. 9. Illud Davidis: *si ascendero in Caelum, tu illic es* l. 2. c. 16. §. 7. Serpentem æneum l. 2. c. 16. §. 7. *sub umbra ejus quem desideraveram, sedi* l. 2. c. 16. §. 5. Miphiboseth in mensa Davidis l. 2. c. 18. §. 4. Currum Ezechielis l. 2. c. 20. §. 2. Mysteria item plurima novi Testamenti, qualia sunt Incarnatio l. 2. c. 4. & 8. prout in Indice invenitur. Item quomodo S. Dionysius dixerit, se crediturum fuisse SS. Virginem esse Deam l. 2. c. 3. Quomodo Christus Dominus Magdalenam coram Martha excusaverit l. 2. c. 7. §. 4. S. Magdalena ad sepulchrum l. 2. c. 16. §. 6. *Noli me tangere* lib. 2. c. 18. §. 2. Quomodo Christus Dominus sit in Venerabili Sacramento l. 2. c. 8. §. 3. Plurima item ei aperta sunt de divinis attributis, de dignitate Angelorum, aliisque: prout Lector abundè inveniet. Quod si quando movemur ad pietatem spectaculo quoque in Theatro comico de vita Christi Domini, aut Sanctorum exhibito; quanto magis id sperandum est, dum mysteria illa ita renovari legimus, ut quodammodo eis interesse videamur? Aestimamus piorum virorum contemplativorum de gestis Christi Domini probabiles coniecturas; cur ergo cœlestia de his responsa, repudiemus; aut dum ipsemet Christus Dominus ea iterum exhibet, legere, & spectare dedignamur? Certè quantoperè ei hæc repræsentationes placeant, patet, vel ex eo, quòd per eas voluerit totam Missam celebrari.

53. Sextus fructus revelationum Ven. Virginis Marinæ peculiaris, est exemplum, quàm cautè sit in talibus extraordinariis divinis favoribus procedendū; si quidem Ven. Virgo Marina, tantas hoc in genere adhibuit cautelas, ut P. Ludovicus de Ponte non dubi-

ta-

taverit asserere, ut in ejus introductione vidimus, sicut Sanctum Franciscum Seraphicum in Paupertatis Evangelicæ, aliosque Sanctos in virtutum aliarum; ita eam *in* exemplum cautelæ, & circumspeditionis esse à DEO Ecclesiæ datam. Unde, & Christus Dominus *l. 2. c. 26.* ad eam dixit: *times? perge. Si ita timerent animæ, non essent tot illusiones.*

54. His addi possunt peculiare illi fructus, qui ex Ven. Virginis Marinæ visionibus in totum mundum, ac in Hispaniam præsertim, provenerunt, prout sparsim in ejus vita inveniuntur: quos inter est ille ad Immaculatam SS. Virginis Deiparæ Conceptionem, initio concionis collaudandam pertinens, de quo dictum supra. Item quòd festum S. Joachimi in Breviarium Romanum imponi procuraverit. Quod ordinem monialium S. Brigittæ in Hispaniam induxerit. Quod Canonizationem S. Ignatii de Loyola à DEO tempore vitæ suæ impetraverit, & pridem prædixerit. Quòd plurimis hominibus subsidiis temporalibus, & spiritualibus succurrerit directa divinis his revelationibus. Denique quòd plura adhuc futuris temporibus ventura à DEO exoraverit, inter quæ est, futura cõversio Angliæ, & alia, quæ lecturi in ejus vita deprehendent.

55. Denique tanta, ut sic loquar, Divinæ Majestatis sollicitudo, ut hæ revelationes conscriberentur, & tanta P. Ludovico de Ponte in Cœlis pro labore eas combinandi promissa præmia, manifestant quanta Deus bona lectoribus piis, & sinceris communicare disponat; sic jussit Deus Brigittam sua conscribere ad movenda corda, quæ lectione S. Scripturæ tunc temporis non movebantur. Sic lecturis revelationes S. Gertrudis grandes cœlestes favores pollicitus est.

56. Reganda est ergò divina Majestas, ut nobis,
& af-

& affectum ad eas diligenter, ac piè voluendas, & lumen ad debitè intelligendas largiatur, ut sic defectū, qui sepè in nostris orationibus mentalibus contingit, compensemus.

§. VIII.

Obiectiones quaedam diluuntur.

57. **I**N primis adverti graves etiam viros à Fide revelationibus ejusmodi præstanda retineri, eò quòd videantur sibi contradicere; id quòd præcipuè notatur circa vulnera Christi Domini, quorum non tot millia computantur in revelatione una, quot in altera; ut proindè necessariò alterutra revelatio falsa, & consequenter fictitia, aut illusoria sit habenda. Quod si jam semel deprehendantur falsæ, nullam amplius in toto fidem merentur. Sed ad quæstionis hujus solutionem advertendum est, rebus divinis, & Propheticis, frequens esse, ut sint profundæ, & obscuræ. Grandis certè Sanctos Patres extitit labor, ut Evangeliorum concordiam demonstrarent. Quantum S. Augustinus circa totam Sacram Scripturam hoc in genere defudavit, apparet ex ejus de Civitate DEI libris. Et quidè quod ad vulnera Christi Domini attinet, poterat ipse ea, diversis vicibus diverso modo computare, nunc vulnera seorsim sine ictibus, & vibicibus, nunc ictus simul, & vibices, & vulnera; nunc vulnera folius flagellationis, nunc totius corporis: nunc sola paulò majora, nunc omnia etiam minutissima: nunc quaedam ob vicinitatem; aut quia eodem ictu inflicta, conjungendo, nunc singula minutim separando. Ut ta-

M

ceam

ceam quod in numeris, ac cifris, facilis sit lapsus typi, & descriptoris; qui etsi quandoque irrepsisset, ita ut demum manifestus error deprehenderetur, nunquid propterea revelationes omnes abiiciendæ? planè sicut si omnes Indulgentias, omnesque Sanctas reliquias; omnes item Sanctorum Patrum libros abiiciamus, quia, & in his non solum errores, sed, & fraudes, & imposturæ contingerunt. Corrigenda ergò benevolè sunt, quæ clarum errorem habent; quæ verò nimis òbscura, ea tantispèr relinquenda, ac interim aliis clarioribus ad salutem animarum nostrarum utendum est.

58. Adde quòd, & à Sanctis quandoque revelationibus intersparis narrentur eorum piæ contemplationes; ad quod si minus attentus Lector non advertat, perplexus redditur. Sic *l. 2. c. 2.* Ven. Marina refert quomodò contemplata sit Sanctos Parentes Deiparæ Virginis in die ejusdem Præsentationis; nec tamen dicit, sic sibi esse revelatum. Deinde contingit, ut narrent quædam se sic in revelatione vidisse; nec tamen asserant sibi revelatum, sic re ipsâ quondam contigisse. Sic Ven. Marina *l. 2. c. 6.* narrat se parvulum Christum Dominum natum vidisse pendentem in aere, & non vidisse, an tetigerit terram. Nec tamen dicit eum terram non attigisse; multòque minùs asserit sibi revelatum: quod re vera tempore suæ nativitatis nō attigerit terram; ut propterea nihil hinc habeamus determinatum.

59. Dicunt alii, multas fœminas esse deceptas, adeòque se nihil velle negotii habere cum fœminis. Dico ego: multi Religiosi apostatarunt, diruamus ergo omnia Monasteria. Sensus iste, est hominum primos statim impetus sequi assuetorum. At vir sapiens, videt, solummodò sequi, quod necessaria sit diligens cautela, etiam circa piâs mulieres; qualem profecto, &
ego

ego supra suasi, nec nisi eas revelationes, quas commune doctissimorum sapientissimorumque simul ac Sāctorum virorum iudicium comprobavit, dixi securè, & sine ulteriore cura admittendas. Decepit fēmina Terullianum; at obstitit. & reprobavit summus Pontifex; obstitere tunc statim, & reclamavere magno numero viri sapientes. Neque verò mulieres imposturam, aut facientes, aut patientes, unquam ea possunt tradere, sublissima spiritalia lumina, & documenta, qualia in revelationibus supra §.2. relatis admiramur; sed substantia gloriæ earum solet consistere in quibusdam miraculi speciem præferentibus; ut quod vulneribus Christi Domini putentur insignitæ, quòd sublimes à terra in flammis pendeant; quod multum jejurent. Alia profectò sunt argumenta veritatis revelationum à sæculis celebrium Sanctarum fœminarum; prout intèr alias fuisse, certum est in Sancta illa Ancilla Christiana, quæ totam Iberorum gentem in Asia ad fidem Christi Domini convertit, prout annotatur in martyrologio Romano ad diem 15. Decemb.

60. Quod si hoc solùm, quòd sit fœmina, quòd sit vetula, quòd sit puella sufficit, ut extrà dubitationem, & attonitam quandam admirationem eluctari nō possimus, miremur ergò similiter, quinàm fieri potuerit, ut unam puellam Iudæam **DEUS** super omnes Sanctos, & Angelos evexerit, in supremam Cœlorum Reginam.

61. Obiiciunt alii, Revelationes has etiam à viris doctis irrideri, aut saltem non commendari. His jam supra respondi. Hanc nempe **DEUS** à suis creaturis inter ceteras patitur etiam calumniam, ut præciosissima, & rariora ejus dona contemnantur; consueta sola laudentur. Incarnatio, & Passio Judæis erat scandalum, Gentibus stultitia: valdè dolendum est, quod quando-

que proptèr ejusmodi nō exiguę auctoritatis viros, multi etiam sæculares, & magnates fructum harum revelationum perdant, qui si eas viderent ab eis commendari, ad earum lectionem excitarentur, ad vitam Sanctā aspirarent. Multi etiam hinc Doctrinam Asceticam, & discretionem spirituū haurirent, necessariam prò aliorum in via spirituali directione. Nunc autem, quandoque verum hīc illud est Christi Domini: *tulerunt clavem, ipsi non introjerunt, nec alios introire permiserunt.* Luc. 11. v. 52. si quem ejusmodi irrisorem DEUS Ven. Marinæ in Confessarium dedisset, quantum is Sanctam illam animam impedivisset: & excruciaffet.

62. Prætereà mirantur aliqui, quod Sanctæ illæ tēpore harum visionum, tam mirabilia, & quasi ridicula faciant: immemores quam mirabilia, legamus in Apocalypsi, quin, & de S. Petro in Monte Thabor. Nonnē, & in quovis alio gaudii excessu videmus accidere, ut planè faciamus ea, quæ alioquin inepta judicaremus? & proptereà non opus est, ut omnia imitatione exprimamus, cum quædam Sanctorum gesta sint solummodo admiranda.

63. Adhuc opponunt alii, se denique ad tales revelationes non habere piam affectionem. At respondeo, fortè nec eam cupiunt, nec à DEO unquam postularunt. Religiosum, & perfectionem, multi nauseant? proptereà dixi supra, non omnibus has revelationes prodesse.

64. Sed tamen dicunt in his non consistere substantiam vitæ Christianæ, aut Religiosæ: Omninò; nec in aromatibus consistit substantia ciborum: repudiemus ergò omnia condimenta. Solida, & præcisè necessaria vestis est quodpiam linteum, & pellis quibus obvolvamur; ergò Sartores elegantia, & commoditatis sectatores emandemus,

65. Re-

65. Reponunt nihilominus, malle se talia legere in viris contemplativis. At re vera vix fidem inveniēt. Nam qui orationem mentalem verè adamant, solent magnoperè desiderare, ut subsidia sanctarum cogitationum, inde accipiant, qualibus profectò revelationes Sanctarum planè abundant, itaut etsi non veræ revelationes, sed meræ essent pię contemplationes, valdè adhuc prodesse. Quin, & longè securiùs leguntur, quàm Rusbrochius, Thaulerus, Suso, Harphius, aliiq; contemplationis magistri, quorum scripta per se intellectu ardua, & imitatu censentur esse periculosa; præterquamquòd quibusdam in locis à rudibus Sciolis sint corrupta.

66. Sed cum ad hæc, & similia, his Venerabilis Marinæ Cœlestibus revelationibus adversatiū tela retundenda, dictas querevelationes Lectoribus commēdandas, nullum sit scutum inexpugnabilius, nec argumentum efficacius, quàm Prologus, quem revelationibus S. Gertrudis à se conscriptis, Joannes Lanspergius præfixit: liceat ipsum transcribere, ad omnium objectionum solutionem indubitata, & ipsarummet revelationum dignam, quam merentur æstimationem.

§. IX.

*Joannis Lanspergii Carthusiani Prologus ad
revelationes S. Gertrudis editas opera
Tilmanni Bredenbachii Sacre
Theologiæ Doctoris.*

67. **I**N lucem prodicimus librum divinarum revelationum, quod certè genus eruditionis, non debueramus ignorasse haud admodum gratū
iis

iis præsertim, qui mundano, humano ve spiritu tument, quique litera magis docti sunt, quàm spiritu. Adeò enim illis quævis ejusmodi sunt frigida, atque insana videntur, ut non solum ad ea nausèa quâdam moveantur; verum etiam hujuscemodi libris, ubi possunt, detrahunt, & quæcumque non intelligunt carpunt: parùm interea considerantes, quod totum ferè vetus Testamentum, revelationes esse fateri cogantur: DEUS non solum varios Scriptores Ecclesiasticos, verum etiam multifor- mem docendi modum, alia itidem, & alia eruditionis genera, phrasim quoque ac dictionem multiplicem in Ecclesia constituit: Idque in utroque sexu, quo nemini deesset, vel (ut ita dicam) juxtà suum genium, unde erudiri, undè illuminari, unde trahi, unde ædificari posset. Quid igitur jam mirum, si hominibus mollioris cordis, ut qui beneficiis, blanditiis, aut amore trahuntur, magis quàm præceptorum austeritate, id quod in sexu foemineo DEO devoto præcipuum est, DEUS loquatur per revelationes. Non inficior quidem pias aliquot Virgines, aut mulieres DEO devotas, ubi sibi ipsis relictæ fuerant, nuquaquam suspitione caruisse: verumtamen, quæcumque fuerunt, suntque hujusmodi, facilè deprehenduntur, neque enim diù latere potest fictio præsertim foeminea, si quidem ubicumque profundissimæ humilitatis non fuerit fundamentum, citò quidquid super illo fuerit edificatum, non absq; ignominia ruit. Nō est autem personarum acceptor DEUS, nec sexum à sexu (quem utrumque fecit) discernit, nisi quod infirmiori plerumque ubi humilitas, & devotio id meretur, potiora dat dona, ut confundat fortia, sapientesque in suo sensu confuter, quod dona sua sibi (hoc est DEO) ascribenda cognoscantur soli; quandoquidem illiterati, & simplices minus habent, quàm ut

ea

ea Scripturę Sacrę ad unguem sint consentanea, licet
 difficilia plerumque scribant, & ardua effingere pos-
 sint. Per quoscumque igitur, vult, loquitur Deus. Hęc
 aspernari propterea, quod per mulierem DEO reve-
 lante insinuentur, nonnē tumidi foret cordis, insolent-
 tissimęque superbix? Pręsertim cum per se ipsum in-
 scripturis Sanctis eadem (quod dixi) DEUS quoq; ipse
 nobis revelaverit: licet pro temporum hominumque
 conditione, hic aliquanto lucidius, uberiusque eorum-
 dem explanatio fiat. Sed quia in sexu fœmineo aman-
 tiora, fideliora, puriora, suavioraq; corda viris fortas-
 se etiam Apostolicis, aliquando anteferenda invenit;
 ideò benigniorem, quod reor, se illis interdum exhi-
 buit. Undè fit, ut viris alioqui doctissimis, qui ambu-
 lant in mirabilibus super se, occupantes magis animū
 suum curiosis quęstionibus (penē dixeram superstitio-
 sis) quàm necessariis, aut secretis, quę scire non oportet,
 investigandis, aut mundanis literis ediscendis, non
 tantā se familiaritatis gratiā manifestet DEUS, quanta
 ad eorundem confutationem potius fœminis, illite-
 ratisque viris DEO devotis illabitur. Quamvis eadem
 hujusmodi devotę personę (quod congruum est) nihi-
 lominus interea pro humilitate virorum Doctorum di-
 rectioni, semetipsas subiiciant. Ex quarum interro-
 gationibus; ex quarum humilitate illuminata,
 non parū (scio) proficiunt sæpe numero Pa-
 tres, aut Confessores earum bonę voluntatis,
 in hoc planē multā laude digniores timidis, qui-
 busdam sciolis, aut literatis, qui si interrogante præ-
 sumentes de se, aut laudanda damnant, aut commen-
 dant vituperanda; hoc solo clari, quòd sexus infirmioris
 devotionem rident, nihil pendunt, & quandoq; ea-
 rum spiritum impediunt.

EPI-

EPILOGUS.

68. **H**abet Reverentia vestra pro mea tenuitate expositum, quod pro commendatione, & auxilio Sancto hujus Operis mihi occurrit. Non quidem, prout initio monueram, quod hæc omnibus sint ita satisfactura, ut nemo amplius reclamet; sed tamen ita, ut cordatis hominibus sint sufficiens præbitura fundamentum, ne mirabilem hanc Vitam Venerabilis Virginis Marinæ mordeant, nisi prius aliquod admodum grave, & certum adversus eam momentum deprehendant. Cæterum Reverentiæ Vestræ ex animo gratulor, quam DEUS elegit ad opus tantæ suæ gloriæ; nec possum quin ominer, specialem quandam Reverentiæ Vestræ in Cœlis coronam parari, si quidem, & Reverendo Patri Ludovico de Ponte, ob hanc vitam prima vice digestam, & Hispanicè conscriptam, Divina Majestas magnum in Cœlis præmium promisit, prout ipsemet Pater Ludovicus refert *lib. 6. c. 2 r. §. 6.*

69. DEUS Optimus Maximus faxit, ut animæ; quàm plurimæ ex hoc Reverentiæ Vestræ labore, ad quam maximam Sanctitatem proficiant, ejusque Majestati sincerè ex toto corde serviant, ad quam maximum ejus beneplacitum, cujus ineffabilis, & omnia merita, ac demerita vincens Bonitas, præcibus, & meritis Sanctorum Inorum faciat nos quoque ex Sanctis.

APPENDIX

AD DISSERTATIONEM

De duobus extremis, vel credulitatis nimiae, &
securitatis; vel nimiae incredulitatis, & timo-
ris, in visionum, & revelationum
Censura, & Qualificatione
fugiendis.

*Ex Doctrina, quam Venerabilis Pater Ludovicus
à Ponte varijs in locis suorum Asceti-
corum operum tradit.*

I. **C**UM Viris in rebus etiam Spiritualibus ma-
xime versatis difficilimum sit, recta ad Cē-
suram visionum, & revelationum incedere
via, quin vel ad credulitatis nimiae, vel nimiae incre-
dulitatis semitam declinent, & utrumque sit in simili-
bus æquè periculosum: ad utriusque extremi periculū
vitandum, regulas in hac Appendice proponam uni-
versales, ex operibus Asceticis Venerabilis Patris Lu-
dovici à Ponte depromptas, & à tanto vitæ Spiritualis
Magistro, ut veriores, & securiores ad hunc Scopum
traditas. Hæ præsertim reperiuntur in summa illa cę-
lesti doctrina mysticæ Theologiæ plena, cui titulus est
Dux Spiritualis hispanicè *Guia Spiritual*, in qua, de
oratione, meditatione, & contemplatione, deque
visitationibus divinis, gratiis, & extraordinariis mo-
dis, quibus Deus hominibus loquitur, accuratè disse-
rens; ad discernendas à falsis veras visiones, inspira-
tiones, & revelationes Dei, boni, verique spiritus im-
N pul-

pulsus regulas prædictas, mirabili, & planè cœlesti lumine plenas, ne in re tanti momenti erraremus, nobis scriptas reliquit. In hoc enim Duce Spirituali tract. 1. cap. 23. § 1. sic ait.

2. Primum igitur esto fundamentum, amplecti consilium S. Joannis 1. Epist. 4. 1. dicentis: Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint. Si enim te absq; hoc examine projicias, ut credas quodcumque spiritus internè tibi dicit, graves illusiones ac deceptiones patieris; vel quia fidem adhibebis falso spiritui, credens esse verum, aut non adhibebis vero, credens esse falsum, & admittes Angelum Satanae, credens esse Angelum lucis, aut reiicies Angelum lucis, existimans esse Angelum Satanae; cum utrumq; sit valdè perniciosum: neq; enim minus nocet portam cordis Deo pulsanti claudere, credendo esse demonem: quàm pulsanti demoni aperire, si credas esse Deum. Et aequè perniciosum est, spiritum bonum (ut Apostus ait) ad Theff. 5. 19. extinguere, Sanctasq; ejus inspirationes; atq; est fovere malum, & execrandas ejus suggestiones. Necesse ergo est omnes spiritus probare, ut eos amplectamur & sequamur, qui sunt Dei: repellamus vero eidem contrarios. Hoc supposito fundamento latè hanc materiam ibi versat; & cap. 24. agit de aliis regulis, & magis particularibus indiciis boni spiritus, & admirandis ejus effectibus,

3. Tractat etiam hanc materiam in eodè Duce Spirituali tract. 3. qui est, de perfecta contemplatione, & unitione cum Deo; præsertim cap. 8. in quo agit de tribus extraordinariis contèplationis formis, in quibus Deus D. N. mysteria sua manifestat per figuras corporeas, aut imaginarias, ac etiam sine illis: ac de admjrandis effectibus ac proprietatibus earum. Ubi postquam explicuit primum modum, quo Deus loquitur per figuras aliquas, imagines, aut externa signa, quæ sensibus cor-

po-

poris, & omnino vigilantibus percipiuntur; & quæ tanquam instrumenta accipit ad illustrandum spiritum, ut intelligat mysteria, quæ illi repræsentant: sunt enim veluti specula, in quibus videt anima divina mysteria, quæ Deus illi manifestat. Quo pacto in *rubo ardenti* Exodi 32. seipsum manifestavit *Moyse*. Et Joanni Baptistæ manifestavit abundantiam spiritus divini quiescentis super Christum per *Columbam de Cælo manentem super ipsum*; & abundantiam spiritus communicati Apostolis per *linguas ignis*. Postquam hoc, in quam, explicuit, transit ad explicandum modum contemplationis per interiores figuras in parte animæ inferiore, quam imaginationem, vel sensum internum appellamus; in quibus solet Deus seipsum nobis manifestare, suaque mysteria revelare altero è duobus modis, ut ait S. Thomas 22. q. 174. ar. 2. & 3. vel imagines, & figuras, quæ prius in eis erant, ita disponendo, & ordinando, ut id referant, quod ipse intendit; aut alias recens figuras formando, per quas illustret intellectum ad intelligendum, & penetrandum, quod illi repræsentant, & ibi ex scripturis probat, hoc modo frequenter Deum egisse cum Profetis veteris, & novi testamenti.

4. Postea autem nu. 3. addit. *Et quoniam manus Domini non est abbreviata, nec alia nunc est, quàm fuerit olim, etiam nunc concedit multis personis rare virtutis, quas ipse in suas accepit, hunc modum contemperationis, seipsum illis ostendendo, aut in forma infantuli, aut in cruce, aut in aliis figuris, & imaginibus; quæ divinas personas repræsentant, aut Angelos, aut Sanctos, aut alia varia mysteria, quod totum geritur in facultate animæ imaginatrice, in qua ponit Deus speculum sive librum, in quo superior intellectus pars, divina luce illustrata, videat legatq; ingentibus admirationis, & amoris affectibus, quod illi Deus vult revelare. Nam hujusmodi imagines, etiam sunt tan-*

quam signacula imprimantia in anima veritates, virtutesque caelestes, quas referunt: idque modò cum teneritate quadam, & suavissimis lacrymis; modò cum jubilis, & exultationibus jucundissimis; modò cum arētissima charitatis unionione, qua quietissimè Deum ipsum complectitur, licet magna cordis vehementia. Interdum veluti suspensa aspiciens, & audiens: nihil tamen loquens; licet aliquando etiam loquatur; quamvis parcè: & cum opus est, petit aliquid sibi, aut aliis juxta necessitatem, quæ impulit ad orandum; aut juxta Dei inspirationem ad id inducentis: semper tamen adeò mutatam, & cum tanto profectu se deprehendit, ut facile advertatur, esse Deum, qui per eas imagines loquatur, & talia in ipsa faciat.

Deinde in eodem capite 8. §. 2, agit de supernaturali contemplatione per similitudines, & in primis probat figuras imaginarias infusas à Deo in contemplatione multum differre ab iis, quas nos industriâ nostrâ in imaginatione formamus; & earum discrimè affignat. *Nostræ enim figuræ* (inquit) *ut plurimum sunt de rebus, quas vidimus, aut audivimus, aut alio sensu percepimus, hæc verò plerumque sunt rerum, quas nunquam vidimus, neque audivimus, neque in cogitationem nostram inciderunt. Nostræ sunt mera figuræ, quæ ad summum emolliunt aliquantulum cor, suntque ex usu ad intellectus ratiocinationem; At hæc sunt vivacissimæ, eo quod in eis representetur DEUS vivens, Et Angeli, & Sancti ejus: efficiuntque effectus stupendos in intellectu, & voluntate, ad quos nullis nostris viribus aut industria pertingere possemus. Illæ nostræ brevi tempore durant, & facile transeunt, estque nobis liberum eas, vel accipere, vel dimittere. Illæ Dei remanent valdè affixæ animæ nostræ, earumque effectus diutissimè durant cum magno profectu nostro, veniunt tanta divini spiritus vi, ut non possimus prætermittere, quin eas acceptemus, &*
quid

quid per eas nobis dicatur, attendamus. Nostræ denique semper ferè sunt eadem: in his vero stupenda est varietas plurimæ comparationes, & gratissimæ similitudines, quæ celestium Mysteriorum arcana nobis aperiunt. Deindè subiungit: Et hic modus comparationum frequentissimus est in contemplatione, eo quod DEUS D. N. accommodet se nostro modo cõcipiendi res spirituales per corporis similitudines. Et in hoc sensu S. Bernardus declarat illã promissionẽ, quã fecit cant. 1. 10. DEUS suã spõsã, cupienti ipsum videre in claritate meridiei, dixit enim Murénulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento, si-
 ve juxta aliam versionem, similitudines auri fabri faciemus tibi, cum distinctionibus argenti, quasi diceret illi, revelabo tibi mysteria divinitatis meæ, per varias sensibilibium rerum similitudines, quibus fides per auditum ingressa, valde illustretur, & confirmetur. Divinæ res, inquit Bernardus sunt quas dicimus, sed nemo illas benè assequetur, nisi qui sit expertus. Quæ tamen declarari possunt ex iis, quæ Verbum Incarnatum in suis sermonibus afferebat, declarans Mystéria Regni Cælorum per parabolas, & similitudines harum rerum visibilibium. Et in hunc modum internè imprimat imaginationi nostræ præclaras similitudines, & comparationes, quæ illustrantes intellectum, jucundissimam, & valdè clarã reddunt meditationem, & contemplationem divinorum Mysteriorum. Quoniam verò res hujusmodi delicatæ exemplis melius capiuntur, duo, vel tria recentia valdèque utilia hic ponam, cujusdam personæ jam vita functæ, cui hujusmodi visiones erant valdè frequentes: de cujus veritate, ac virtute propterea sum securus, quod in ea inveniuntur illa indicia, & signa, quæ in primo tractatu sunt posita. Et statim adducit tria egregia exempla visionum sensibilibium, quas habuit illa persona, quæ sanè diversa fuit à Venerabili Marina de Escobar; nam hæc super vixit novem annis

Ve-

Venerabili Patri, qui obiit anno 1624. illa autem jam obierat anno 1608. quando hæc scripsit V. Pater.

Materiam hanc egregie prius explicuit magnus hic vitæ spiritualis Magister tomo primo meditationum parte 3. meditatione 19. nam expendens, quomodo Christus Dominus super mare ambulâs. *Mat. 6. 43. phantasma* à discipulis existimatus fuerit; hinc varia documenta elicit ad discernendum Christi verum spiritum à phantastico, sive imaginario, verumque, & solidum fervorem, & affectus, quos DEUS, dum pias animas visitat, in oratione jucunda sua præsentia in eis efficit; sic enim loquitur puncto 3. illius meditationis.

Circa verbum illud (inquit) Apostolorum, quia phantasma est, consideranda sunt tria hominum genera, qui cū Christo Domino agentes, alios atque alios de ipso, ejusque rebus conceptus habent. Alii enim quod re ipsa phantasma est, & umbra phantastica, Christum verum esse existimant; somnia enim sua, & imaginarias apprehensiones pro certis verisque habent revelationibus; affectus, & animi sui perturbationes, veras judicant esse virtutes; nam imprudentem iram suam, zelum existimant; turpem amorem dicunt esse spiritualem. Hi ut plurimum sunt superbi, præsumentes, & proprio judicio nimium tribuentes. Quamobrem sæpè Satanas se transfigurans in Angelum lucis, eis persuadet propriam ipsorum sententiam, verissimam esse lucem; cum verè sint tenebræ; & aliàs proprium ipsorum judicium, Satanae fungens officio, facit eos credere omnes internos suos motus, & instinctus esse ab spiritu S. cū re ipsa à proprio suo, carnali, seculari, superbo cæcoque dictentur. Aliàs propria imaginatio, cum capitis præsertim imbecillitate, eos decipit, dum adeo vivam Christi imaginem sibi illa effingit, ut Christum ipsum verum existiment, & fictitio hoc favore inaniter evanescent, sibi persuadentes ea verba, quæ paulò antè ipsi fortè cogitaverant, aut quæ libenter audirent ab ipso

ipso Christo esse prolata . Ac denique etiam ipsi valde spirituales, qui veras DEI inspirationes habere consueverunt, judicant interdum tales esse, proprias ipsorum ratiocinationes, sicut Nathan Propheta accidit 2.Re.7.3.13. cum dixit David, cogitanti domum Domino ædificare : Omne, inquit, quod est in corde tuo, vade, & fac: quia Dominus tecum est . Adnotavit autem S. Gregor. 2. Dialog. 21. & Homil. 2. in Ezech. Non ex revelatione id dixisse Nathan, sed ex proprio judicio, siquidem eadem nocte dixit Dominus eidem Nathan, ut diceret Davidi, non ipsum, sed filium ejus domum Nomini Domini ædificaturum, Eodem etiam modo decepti de aliorum spiritualibus motionibus judicium faciunt; fidem facile iis, quæ ipsis dicuntur, adhibentes, seq; signis externis apparentiisque induci patientes . Ex quo fit, ut approbent ea, quæ verè sunt phantasmata; illamq; viam teneant, de qua Prov. 14. 21. Spiritus Sanctus ; Est via, quæ videtur homini justa, novissima autem ejus deducunt ad mortem .

Alii contrà omninò, quod vere Christus est, Phantasma existimant, & solidam virtutem appellant passionem; verã inspirationem, proprii spiritus impulsu judicant juxta illud Mat. 6. 48. At illi, ut viderunt eum ambulante super mare, putaverunt phantasma esse, & conturbati præ timore clamaverunt dicentes, quia phantasma est. Tales solent esse nimis timidi, scrupulosi, & ignari, qui ob suam ignorantiam, aut timidam, & melancolicam complexionem illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor. Psal. 52. 6. Quod interdum etiam iis accidit, qui in via spiritus aliquos progressus fecerunt: cum graves aliquæ tē-tationes, & tempestates exurgunt; sicut in hac occasione, Apostolis accidit, ipso Christo Domino has tenebras, dubiaq; permittente : sit ne Deus, an Phantasma, quod ipsis oculis cernunt, & experientia noverunt : quò sic exerceantur, & roborentur, crescantq; in humilitate, & aliis virtutibus, tunc
enim

enim terribilior censenda tentatio est, cum illud ipsum, quod Deus tamquam remedium mihi offert, novam interpretor deceptionem. Et similiter decepti aliqui increduli, & inexperti de aliorum spiritualibus motionibus sentiunt, de iis, quæ ignorant, blasphemantes: existimantes, visiones omnes ac revelationes, & opera, quæ vident, audiuntve admiranda, phantasmata, atque deliria esse. Idque perinde asserunt, atque si hisce temporibus nemini se Deus, sicut olim Sanctis communicaret. Utrumque hoc ex S. Greg. hom. 5. in Ezech. extremè est perniciosum: neque enim minus malum censeretur debet, si Christum existimes esse phantasma, quàm si contra, habeas phantasma pro Christo, aut repellas quod est DEUS, existimans esse demonem, quam admittere quod re vera est demon, existimans esse DEUM: Et æquè noxium est si carnis impetum sequaris, credens esse Spiritus S. atque spiritus impulsum extinguere, credens esse carnis impetum.

Tertium hominum genus mediam tenet viam, quæ est juxta S. Ioan. consilium. Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex DEO sint: quo examine præmisso, gratia DEI assistente iudicium quale oportet de rebus omnibus faciunt, ac distinguunt id, quod est verè Christus, ab eo quod est phantasma, & mera apprehensio, tam in rebus propriis, quam alienis, quas examinant, soletque DEUS ad id conferre donum illud, quod Apostolus 1. Cor. 12. 10. spirituum discretionem appellat, quod præcipuè Magistris Ecclesiæ communicat, quos propterea Examinatores, & spirituum malorum Probatores appellat. Hier. 6. 27. Ad quos propterea par est eos recurrere, qui sunt minus experti, ne decepti aut falsum aurum pro vero recipiant, aut verum tanquam falsum reiiciant. Debemusq; omnes hanc caelestem lucem à Christo Domino nostro ne aberremus, petere dicentes: O caelestis Magister, & verè Spirituum Ponderator: Prou. 16. 2. ne quæso me patiaris eam tibi

tibi iniuriam inferre, ut phantasma appellem quod verè DEUS est, aut DEUM, quod est verum phantasma. illustra me potius divina luce, ut alterum horum ab altero discernere valeam: adjuva me etiam, quò boni Spiritus impetum sequar; fugiam verò mali. Amen.

Et postea tom.2. Meditat. par.4. Meditat.6. expèdendens quod narrat S. Lucas cap.22. & Marcus cap.16. quomodo piæ mulieres regressæ à monumento, narraverunt Apostolis lugentibus, & flentibus quæ audierunt ab Angelis de Christi resurrectione; sed illi audientes, quia Jesus viveret; non credederunt illis: & visa sunt ante illos sicut deliramenta verba ista. Hæc, inquam, expendens, hoc insigne tradit documentum. Ex his discam, (inquit) duo mihi extrema esse vitanda; alterum eorum: qui levissimè adhibent fidem quibusvis muliercularum revelationibus, & visionibus, non sine periculo credendi multa, quæ sunt planè deliria, somnia, aut imaginationis meræ apprehensiones; alterum est duriorum, & valde ad credendum difficultium, qui omnia æstimant deliramenta, qui maximus est etiam error: nam licet sint feminae, & homines planè ignari, solent interdum ob suam devotionem, & fervorem fieri digni, quibus veræ fiant apparitiones Angelorum, & ipsorum Domini, sicut in presenti casu cernere licet: ac propterea merito est illis fides adhibenda; præcipuè cum eadem

visiones, & cedant in confirmationem veritatum San-

ctæ nostræ fidei. Nec minor est error, delirium

imaginationis, revelationem Dei ap-

pellare; quàm contrà, revela-

tionem Dei, appellare de-

lirium imagina-

tionis.

I N D E X

Eorum, quæ in hoc Opere continentur.

D *Issertationis directio ad R. P. Melchiorem Hanel pag.* 1

§. 1. *Qui Authores historiam vitæ hujus Venerabilis Virginis scripserint.* 4

§. 2. *Quam insignis Sanctitate, & sapientia fuerit V. P. Ludovicus à Ponte, qui primam partem mirabilis vitæ Marinæ de Escobar adhuc viventis, secretissimè scripsit, & prælo dispositam reliquit.* 6

§. 3. *Synopsis vitæ Ven. Patris Ludovici de Ponte, sumpta ex Bibliotheca scriptorum Societatis Jesu.*

Introductio V. P. Ludovici de Ponte ad primam partem mirabilis vitæ Venerabilis Virginis Marinæ de Escobar pag. 21

Prologus, quem premittit ad primam partem mirabilis vitæ Ven. Virginis Marinæ de Escobar à se latinè redditam Pater Melchior Hanel Societatis Jesu. 22

§. 1. *Indicat revelationes, quas Marina pro ea cōscribenda habuit, & fundamenta, quibus innititur veritas, & certitudo hujus historię.*

- ria. 25
- §.2. Deus jubet Marinam ob valde sublimes fines, ea scribere, quæ ipsi eveniebant. 29
- §.3. Jubet Christus Dominus Confessarium à Societate Jesu hæc scripta disponere, ut suo tempore evulgentur. 34
- §.4. Partitio primæ partis hujus historiæ in sex libros. 35
- §.5. Quomodo ipsi Deus Communicaverit eximiã spiritus mysticam, & experimentalem scientiam, præceperitq; ut conscriberet omnes suas experientias in commodum proximorum, consignandas, & in ordinem redigendas à Cōfessario, quæ habebat ex Societate Jesu. 38
- §.6. De nimio timore, quo perpetuò angebatur, ne pateretur illusiones in suis extraordinariis viis, quàmque sollicitè petierit à Deo illuminari, ac de admirandis rebus, quas ipsi Divina Majestas dixit, ut illam redderet securam. 42

Dissertatio Apologetica in vitam, & revelationes Ven. Virginis Marinæ de Escabar.

- §.1. An in novo testamento dentur aliquæ fide dignæ revelationes Divinæ extra Sacram scripturam. 55
- §.2. Quenam sint in Ecclesia illæ revelationes; & an inter eas etiam recensenda, quæ conti-

- nentur in mirabili vita Venerabilis Virgi-
 nis Marine de Escobar. 59*
 §.3. *Quare Deus in his revelationibus utatur tan-
 tis erga suos blanditiis. 66*
 §.4. *Quare ejusmodi revelationes mulieribus po-
 tius præstentur, quàm viris. 72*
 §.5. *Quomodo fiant Cælestes hæc revelationes. 76*
 §.6. *Qui sint apti ad legendum cum fructu tales
 revelationes. 79*
 §.7. *Quanti fructus ex Sanctarum mulierum re-
 velationibus in Ecclesiam Dei redūdent. 84*
 §.8. *Obiectiones quedam diluuntur. 89*
 §.9. *Joannis Lanspergii Carthusiani Prologus ad
 revelationes S. Gertrudis, editas opera Til-
 manni Bredenbachii Sacræ Theologiæ Do-
 ctoris*

Appendix ad dissertationem .


*De duobus extremis, vel credulitatis nimie, &
 securitatis, vel nimie incredulitatis, & ti-
 moris, in visionum, & revelationum censu-
 ra, & qualificatione fugiendis. Ex doctrina,
 quam Venerabilis Pater Ludovicus à Ponte
 variis in locis suorum Asceticorum operum
 tradit. 97*

Errata

sic corrige.

Pag. 3.	lin. 2.	hominibus illis	quæ hominibus illis ?
8.	10.	præsentia	præsentia
	12.	spiritualij	spiritualis
9.	2.	effectus	affectus
10.	7.	illa	illam
	20.	adiatricem	adiutricem
11.	29.	alia magis copiosa, & ex- cta facta sunt.	alii magis copiossi, & ex- cti facti sunt.
15.	23.	voluntate	voluptate
18.	22.	De Christiana nominis	De Christiani hominis
	34.	Post obitem	post obitum
20.	12.	curatum	iuratum
	33.	Et te expendere	ac expendere
21.	20.	aversam	versam
24.	22.	intricatus	intricatas
26.	18.	scrivissent	scivissent
29.	16.	aliorum	aliarum
49.	15.	persuado	persuadeo
59.	11.	in mirabilis Vita Vene- rabili	in mirabili Vita Venera- bilis
65.	8.	Episcopum Conchensem	Cordubensem
80.	29.	suspiciant	suscipiant
	31.	ex kalendario	& kalendaria
88.	3.	ita eam exemplum	ita eum in exemplum
94.	21.	nuquaquam	nequaquam

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several columns and is significantly faded and obscured by water damage.







K
IV
8